QVATENVS IN SCRIPTVRA ROMANI LITTERIS GRAECIS VSI SINT

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVALTHERVS NIESCHMIDT
HOLDENSTEDTENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH
MCMXIII

DISSERTATIO AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE REFERENTE THEODORO BIRT PROBATA EST A. D. XV. KAL. MART. A. MCMXII.

PARENTIBVS OPTIMIS

Vocabula peregrina ab una quaque lingua, dum viget, continenter recipiuntur eoque magis, quo cuique civitati celebrius atque frequentius commercium est cum aliis populis et invehuntur res, cognoscuntur artes antea ignotae. Ita fit ut ii quidem populi qui sui ipsorum fuerunt quasi magistri pauca verba ex peregrinorum populorum linguis mutuati sint, quod quadamtenus factum esse videtur apud Graecos. Permagnus autem numerus verborum a populis qui maioris cultus atque humanitatis sunt ad minus cultos transire solet. Romani in iis rebus quae ad philosophiam pertinent, quippe cuius cognitionem mirum quam perfectae atque expolitae a Graecis acceperint, nonne vocabulis Graecis usi sunt? Nonne Graecis et ipsi nos utimur qui nunc sumus homines Germani, admixtis tamen Latinis, quia philosophiam nos primum libri Latini, deinde Graeci docuerunt? Artem quidem grammaticam a Romanis nobis traditam esse adhuc plurima verba Latina quae in linguam nostram recepimus indicant, quamquam huius quoque disciplinae origo Graeca satis distincte pellucet. De re militari, quae a Francogallis ad nos pervenit, de navigatione, in qua multa a Britannis didicimus, de musica, cuius homines Itali fuerunt doctores, quid multa? Satis variam profecto praebet speciem lingua nostra. Simpliciorem atque ut ita dicam bicolorem lingua Latina; nam vocabulorum peregrinorum quae continet sane maxima pars a Graecis sumpta est. Quae collegit F. O. Weise[1]), simul de commercio quod Romanis cum Graecis fuit uberius disserens, collegit et ipse G. A. Saalfeld[2]).

1) Die griechischen Wörter im Latein. Lipsiae a. 1882.

2) Tensaurus Italograecus. Viennae a. 1884.

Iam antea A. Goerke de vocabulis Graecis quae sunt apud Plautum conscripserat libellum.[1]) Nobis tamen quibus de vocabulis Graecis in sermonem Latinum assumptis quando Graecis, quando Latinis litteris scripta sint propositum est quaerere, agendum est de re quam illi vix attigerunt. Illis enim viris doctis praecipue res est cum iis verbis Graecis quae adeo recepta sunt in linguam Latinam, ut aut amiserint omnino speciem Graecam adhibeanturque ab omnibus ut vere Latina, ut *murtus*, *cupressus*, *purpura*, cf. nostra *Spiegel* = *speculum*, *Pfeffer* = *piper*, aut, conservato colore Graeco, nisi apud omnes, apud homines tamen paulo doctiores cottidiano in usu fuerint, ut *philosophia*, *rhetorica*, *cycnus*, cf. nostra *Konferenz*, *Chaussee*: quae prima atque altera trium classium sunt quas hac in re constituit Weise; nos vero de iis vocabulis Graecis disputabimus quae naturam Graecam prorsus conservaverunt et prorsus ut Graeca adhibita sunt. Haec est Weisi classis tertia, sed non tota. In qua postquam ille numeranda esse dixit ea vocabula Graeca, quae a sermone etiam doctissimorum aliena apud poetas tantum invenirentur, ut *glaucus* (saepe apud Vergilium), *thalassinus* (Lucr. 4, 1127), *chryseus* (Mart. 9, 94, 4), *acersecomes* (Iuv. 8, 128), similia plura, ad haec accedere dicit „eine grosse Zahl von anderen bei römischen Prosaschriftstellern belegten Wörtern, die ihre Existenz der gräcisierenden Manier des Autors (z. B. bei Apuleius) oder der Bequemlichkeit desselben d. h. seiner Neigung, die der benutzten griechischen Quelle entstammenden Ausdrücke unübersetzt und unverändert herüberzunehmen (z. B. bei dem älteren Plinius, den Kirchenvätern u. a.), verdanken, oder die, was oft bei griechischen terminis technicis der Fall ist, durch ihre fremde Endung und Form, ihr vereinzeltes Auftreten und die in der Regel daneben stehende Übersetzung oder Erläuterung leicht als mit lateinischen Lettern gedruckte griechische Wörter zu erkennen sind.“ De his sane nos

1) Symbola ad vocabula Graeca in linguam Latinam recepta. Regimonti a. 1868.

acturi sumus, omittemus ea, de quorum scriptura dubitari non potest, quia, ut Vergilianum illud *glaucus*, alia plurima, Latinorum locum obtinent. Sed eiusmodi verba ne apud poetas quidem rara sunt, atque ea ex usu cottidiano infimae plebis sumpta: Plautum dico et Lucilium. Maxime autem iis quoque vocabulis Graecis operam dabimus quae Graecis litteris inter Latina scripta sunt: quae omnino non curat Weise. Non ea igitur, ut paucis repetam, vocabula Graeca tractabimus quae in linguam Latinam, quamvis raro in libris reperiantur, quadamtenus recepta sunt, sed ea quibus ut vere Graecis utuntur scriptores, licet eadem aliis locis (cf. Lact. div. inst. 3, 13, 4. 6) Latinorum vicem obtineant. Quamquam non semper certam esse hanc distinctionem non ignoro: sunt quae utri classi tribuas dubites. Exemplum proponam ex lingua nostra sumptum: Lessing, Hamb. Dram. cap. 41 (vol. 9 p. 630 ed. Lachmann-Muncker a. 1893):

„aus der Höflichkeit wird Persifflage, (ich brauche dieses französische Wort, weil wir Deutschen von der Sache nichts wissen)".

Similiter scriptores Romani sescenties exponunt cur verbo Graeco usi sint.

Litteris Latinis i. e. Francogallicis, non Germanicis scripsit Lessing vocabulum Francogallicum *Persifflage* sermoni Germanico insertum, quamquam illud consuetudini nostrae concessit, quod primam litteram voluit esse maiusculam. Hic est mos noster, qua nunc sumus subtilitate. Non tamen debuerunt scriptorum antiquorum Latinorum editores transferre hunc morem in libros Latinos ita ut Graeca ibi vocabula Graecis fere semper litteris exprimerent etiam tum, cum Latine scribenda esse postulant codices; quod monuit iam Lachmann in commentario in Lucreti libros p. 272. Codicum autem testimonio neglecto mirum quanta in hac re nonnumquam evasit inconstantia. Nam e. g. Diomedis locum quendam qui ex Suetonio sumptus esse videtur exhibet Keil sic scriptum, Gramm. Lat. 1, 482: *Poematos genera sunt tria. aut enim activum est vel imitativum, quod Graeci dramaticon*

vel mimeticon, aut enarrativum vel enuntiativum, quod Graeci exegeticon vel apangelticon dicunt, aut commune vel mixtum, quod Graeci κοινόν vel μικτόν appellant. dramaticon est . . .

Eundem sic Reifferscheid, Suet. p. 4 sq.: *Poematos genera sunt tria. aut enim activum est vel imitativum, quod Graeci dramaticon vel mimeticon, aut enarrativum vel enuntiativum, quod Graeci exegeticon vel apangelticon dicunt, aut commune vel mixtum, quod Graeci κοινὸν vel micton appellant. dramaticon est . . .*

Nam cum codices non minus litteris Latinis scriptum praebeant *cynon vel micton* quam *dramaticon, mimeticon, exegeticon*, *apangelticon*, quid est cur librorum manuscriptorum auctoritatem spernamus?

Neglegentius ipse quoque Saalfeld hanc rem tractat. Qui postquam s. v. phantasia Senecam et Petronium citavit, addit „griech. bei Cic. Acad. 1, 11. 2, 6 u. a.“: sane aliquo iure, nam certe vox vere Graeca his locis est *phantasia*. Vereor tamen ne simul de scriptura illud valere voluerit; nam s. v. dogma similiter scribit „Cic. Acad. pr. 2, 43, 133. (ibid. 2, 9, 27 griech. geschr.)“, quamquam ex Halmi apparatu critico cognoscere licebat sic in codicibus exaratum esse hunc locum: *suis decretis quae philosophi vocant dogmata.* Similia saepissime inveniuntur. Idem vir doctissimus qua de causa Cic. de div. 1, 41, 90 cum codicum testimonio *naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant* scribendum censeat contra editores, qui solent scribere φυσιολογίαν, nescio. Goerkium addo, apud quem „voces et formulae Gr. sine ulla mutatione Latine loquentium sermoni intermixtae“ (p. 22. 26 sq.) omnes litteris Graecis scribuntur, in iis quoque Plauti fabulis, quae iam tum (a. 1868) a Ritschelio ubera cum adnotatione critica editae erant (Trin. Mil. Bacch. Stich. Pseud. Men. Most. Pers. Merc.).

Sane ne nos quidem ignoramus fallax saepe et corruptum esse testimonium librorum medio aevo exaratorum. Sed ut tutius certe est si in regionibus ignotis sequimur ducem erroris

non expertem quam nullum, ita ei qui rem orthographicam tractat codicum memoria non neglegenda est. Profecerit enim multum qui codicum testimoniis inter se collatis cognoverit quid uno quoque loco scriptum fuerit in archetypo eorum librorum qui nunc supersunt. Alia quoque nos adiuvant: ψευδόμενον illud Sen. epist. 45, 10, quod recte Birt vir doctissimus monuit [1]), alia, quae infra proponentur.

Neque plane novum est quod postulamus. Nam multorum scriptorum Romanorum tituli quos libris inscripserunt utique Graeci nonne semper ab editoribus Latinis litteris scripti sunt? Quamquam tituli quales sunt Naevi *Acontizomenos, Agrypnuntes*, Caecili Stati *Ex hautu hestos* (= Ἐξ αὑτοῦ ἑστώς), Terenti *Heauton timorumenos,* Acci *Nyctegresia,* Ciceronis *Limon,* Varronis *Logistoricon* libri, *Aetia,* Vergili *Catalepton,* Ovidi *Metamorphoseon* libri, *Halieutica,* quis dubitat quin Graece sonuerint uni cuique legenti sive audienti atque a scriptoribus scripti sint ut vere Graeci? Differunt sane Varronis saturarum Menippearum tituli, quos quod Graece scribunt editores recte codices Noni Marcelli sequuntur. Porro verba Punica quae sunt Hannonis in Poenulo Plautina omnes nunc Latinis litteris scribunt; item Graece scripta sunt quae barbare loquuntur Indi in mimo illo Graeco Oxyrhynchi reperto (Herond. ed. Crus.[4] p. 111 sqq.). Quamquam enim Romanis et Graecis formae litterarum quibus Poeni atque Indi scribere solebant certe minus notae erant quam Romanis characteres Graeci, tamen haec quoque exempla testantur hominibus antiquis non alienum fuisse peregrina verba litteris suae ipsorum linguae transcribere.

Verba Graeca quae inter sermonem Latinum scripta occurrunt terminationes quoque habere Graecas consentaneum est; tamen nonnulla etiam in hac re ad Latina assimilata videmus, ut Plaut. Trin. 1025 *epithecam insuper*, Cic. ad fam. 7, 16, 1 *philotheorum*, Lact. div. inst. 1, 21, 39 *aegiochus.*

---

1) Th. Birt, Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum X. Jhd. n. Chr. Marpurgi a. 1901, p. 193. Cf. infra p. 45.

Quamquam quod Plaut. Merc. 5 *Emporus Philemonis* praebent codices, librariis fortasse tribuendum est. Nam Graecae fabulae hic titulus est; ipsarum autem Latinarum titulis, qui ablativo plerumque casu apud grammaticos citantur, etsi *Naevi Acontizomenus* est in codicibus Charisianis, Graecam terminationem adhibendam esse exposuit Ritschl (Opusc. IV, 232 sq.) et esse scribendum *Acontizomenos* (Naevi), *Canephoros* (Turpili), *Epistathmos, Gamos* (Caecili Stati), similiter reliqua, quia et in inscriptionibus invenirentur hae formae et constaret de forma *Heauton timorumenos* apud Terentium (sic codd. in didascalia, *Heauton timorumenon* prol. v. 5). Neque dubitamus quin *Adelphoe*, quam formam praebent codices in didascalia, verus sit titulus fabulae Terentianae, aut ita ut illud in prol. v. 11 *in Adelphos* non ita magni faciamus (quis enim tantam in citando curam poscat?) aut pro *in Adelphus* id scriptum esse suspicemur: sic enim Plaut. Mil. 271 legitur *Philocomasio* pro *Φιλοκομασίου*, Lucil. v. 641 M. *gymnasio* (*gymnasiou*? *gymnasio in* codd.) pro *γυμνασίου* (Th. Birt, Zwei politische Satiren. Marpurgi a. 1888, p. 79).

Inde a saeculi a. Chr. II fine mos invaluit ut verba Graeca in linguam Latinam aliquatenus recepta saepe Graece flecterentur; itaque terminationum observatione inde ab illo tempore adhibitarum de scripturae genere nihil efficitur.

Iam ad ipsam tractationem aggrediamur, cuius in parte priore de inscriptionibus selectis, in altera de libris calamo scriptis disputabimus.

A. Inscriptiones.

Ut cognoscamus qui sit usus litterarum Graecarum in inscriptionibus Latinis, Carmina epigraphica quae collegit Buecheler, inscriptiones parietarias Pompeianas editas a Zangemeistero in Corporis inscriptionum Latinarum vol. IV et ab Augusto Mau in voluminis IV altero supplemento, inscriptiones Galliae Narbonensis quas edidit Hirschfeld in Corp. inscr. Lat. vol. XII, Edictum Diocletiani editum a Mommseno in Corp. inscr. Lat. vol. III examinavimus.

In Carminibus epigraphicis Buechelerianis (e. g. carm. 564 in lapide Romae reperto, 1551 B) neque minus in inscriptionibus Pompeianis (e. g. 2252 sq. 2319 l) et in Galliae Narbonensis titulis (e. g. 1277. 306. 1038) non raro sane in uno eodemque lapide Graecis litteris scripta iuxta Latinis litteris scripta extant; sed hoc non miramur, nam aut hae binae in lapide uno inscriptiones sunt aut adiciuntur ad Latina Graeca sive ad Graeca Latina ita, ut utrumque genus separatim scriptum esse videatur.[1])

Intermixta tamen si sunt vocabula Graeca ipsi sermoni Latino, ubique fere Latinis litteris scribuntur in Carminibus epigraphicis. In carm. 1719 (lapis prope Tegeam Arcadiae inventus) „quasi graecum fertur *παμοι*“, sed totius huius carminis (siquidem carmen est, quod ne ipsum quidem exploratum est) tam pauca verba supersunt, ut ex hoc loco nihil effici possit. Buecheler litteris Latinis scripsit *tiamoi*.

---

1) Cf. F. Zilken, De inscriptionibus Latinis Graecis bilinguibus quaestiones selectae. Bonnae a. 1909.

Posteriorum saeculorum carminibus saepe *α χϱ ω* (660, titulus in Latio repertus) aut *α ω χϱ* (738, Romae), christianae religionis notae, adiectae sunt, Graecis semper litteris scriptae. Ceterum nominum et verborum formae etiam si Graecorum more declinatae sunt litteris Latinis scribuntur. *Pallados*, *Styga*, *Eurydicen*, talia creberrima ut omittam, verba Graece flexa sunt 935,13 *Tiburtinus epoese* (Pompeiis in pariete theatri tecti; satis vetustum ut Pompeianum!), 1099 (in cippo prope Romam effosso) *Cornelius epoi*, 610 (in inscriptione Vercellensi) supra ipsum carmen *Aeoni chaere*[1]). Contra artifex quidam, cum carmini 451 Romae reperto Graecorum more nomen suum subscribere vellet, litteris quoque Graecis sibi utendum esse existimans scripsit *Chryses b. m. φ* (i. e. *φῆκιτ*).

P o m p e i i, Oscae quidem originis urbs, postea autem Graeca facta, prima imperatorum aetate speciem praebebant urbis Graeco-Latinae: incolebantur a Graecis et Romanis, linguae et Graeca et Latina ibi vigebant. Cuius rei etiam inscriptiones parietariae, quas fere omnes saeculi p. Chr. I esse consentaneum est, testimonium afferunt. Sunt enim inter has circiter CC Graecae atque Graecis litteris scriptae. Nonnumquam Graeca, quae sola stant, Latinis litteris exarata videmus: CIL IV, 2094 *asty*, 5299 *deuro nym*, 2162 *panta*, item 2178 b, 2161 *nica*, 4519 *dia tuto pilo*[2]) *maenomae*, 2425 *dos pygiza* (*δὸς πυγίσαι* Jahn), 2400 a *edemoidiosarapataparasoidiomede*, qui versus reciprocus superius Graecis litteris scriptus extat, 1111 *ton henta theamaton esti* *τῶν ἑπτὰ θεαμάτων ἐστί*; antecedit sententia Latina). Item Latina characteribus Graecis scripta: 2311 *δουμμος περτουσα* (*domus pertusa*), 4213 *γενι*, cf. 4198, 6731 *VII κ αυγοσια*. Cf. tabularum ceratarum, quas edidit Zangemeister in eiusdem voluminis CIL IV supplemento I, n. XXXII et CXXXVI. Per iocum factum esse credideris quod

1) Tales exclamationes non semel Latinis litteris scriptas extare in lapidibus testatur E. Diehl Mus. Rhen. 62, 402 sqq.

2) De *φ* Graeco litteris Latinis *p* aut *ph* aut *f* expresso egit Mommsen in Hermae vol. 14 p. 65 sqq.

verba Latina Graecis litteris scripta occurrunt intermixta Latinis Latine scriptis: 2319 l . . . *tyria percisa* . . ., infra . . . *tyria περκισα* . . ., 5267 *Λουκιον λι cunnu*; cf. 5445 *nautae* (pro *ναῦται*? an Lat.?) *και κοινην φιλιτε*. Quin etiam formae Latine flexae Graecis scribuntur litteris: 3101 bis *Μουσαους*, 733 . . . *κακομ* . . . Denique nonnulla verba litteris Latinis et Graecis permixtis scripta sunt: 2432 *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC*, 2494 *COΣIDΗVS* (*Σωσίθεος*?), 4198 *ΓENIVS* infra addito *GENEVS*, 4950 *BAXXIS ΔOMNA*, 5649 . . . *ELPEΦEBI* (in vase fictili), 6878 *ΓRANIVS*, item 6879.

Ex quibus profecto apparet hominibus Pompeianis linguam atque scripturam Graecam satis notam fuisse. In iis autem quae Graece scripta sunt vix interpositum invenitur ullum verbum Latinum litteris Latinis scriptum; immo, si qua sunt Latina, litteris Graecis exarantur: 2204 *μολα · φουτουτρις* (*fututrix*), 4901 *η κλεις της αρκλας* (*arculae*), 4950 *βαχχις δομνα*, 6828 (*ε*)*μνησθη πρειμ*(*ογ*)*ενης πυπλεικος καισαρος*. Eadem haec est ratio quam supra vidimus adhibitam esse ab iis qui Graeca Latinis litteris scribebant: noluerunt foedare scripturae speciem, alterum litterarum genus cum alteri immiscerent. Item in Latinis inscriptionibus Pompeianis: ne unum quidem ibi verbum Graecum inter Latina sparsum invenitur Graecis litteris scriptum, Latinae semper litterae adhibentur: 423 . . . *ego astylus sum*, 652 *calos victor ubique*, 1256 *sabine calos hermeros te amat* bis, atque similiter saepe vocabulum *calos*, 1664 *nica glaphyrine*, 2178a *nica creteissiane*, 4603 *romanus olim palim aurum pro ferrum dedica*.

Similis usus invenitur in inscriptionibus Galliae Narbonensis, in qua ipsa quoque antiquitus habitabant Graeci cuiusque in urbibus duravit lingua Graeca etiam per complura post Chr. n. saecula; nec nisi paucas ibi exceptiones repperi. Inscriptiones Latino-Graecae sunt CIL XII, 306 (Fréjus, s. II exeuntis; *C. Vibio Liguri Maxsuma mater fecit*, sequuntur duo disticha Graeca), similiter 4015 (Nemausi, s. I), 1686 (distichon Latinum, deinde idem Graece, s. I ineuntis), 5340 (Narbone,

anno p. Chr. 527), 3232 (Nemausi, s. II); Graeco-Latinae 1038 (Avennione), aliae. Inscriptiones sepulcrales Graecae 3672 (Nemausi, s. II) et 3406 (Nemausi) Latinarum stilum atque formam imitantur; a *Δ M* i. e. *dis manibus* incipit Graeca 1913 (Viennae); cf. supra illud *φ* = *fecit* Carm. epigr. 451. Saepius tamen occurrunt in titulis Latinis scribendi compendia Graeca: christianum illud signum, quod constat ex *X* et *P* litteris varie inter se conexis additis non semel *α* et *ω*; *XPI*, *XPO* passim (e. g. 1724 bis, 1802): itaque Latine cadit vocabulum Graecis litteris expressum. Sed haec quidem recepta formula fuit; re vera inter scribendum immixtae sunt litterae Graecae Latinis 1200 (Carpentorate) *HRIMIGENIVS*, 5686[793] *SCOHAS*, 5683[109] *FIRMVΣ*, 5686[326] *DVΦIVS F* (videtur esse *Durius*). Formularum instar etiam 758 (Arelate, s. II inc.) *ευπλοι* h. e. *εὔπλόει*, 874 (Arelate) *Ἀρώματι ταῦτα* (ubi v. editoris adnotationem), 4123 (St.-Gilles, s. I) *TAYTA* (quae tamen nescio an Latinae sint litterae; minusculis Graecis scribit editor p. 957) in fine titulorum Latinorum adiciuntur Graecis litteris exarata. Quin etiam unum vocabulum Graecis litteris scriptum sermoni Latino insertum invenimus: 1918 (Viennae, s. I) *Iuliae felicissimae scholasticae ΙΛΑΡΕΙ quae vixit* . . . Singulare tamen hoc est, memor autem fuit lapidarius sine dubio Graeci adiectivi quod est *ἱλαρός*. E contrario 182 (Antipoli) *zeses* i. e. *ζήσῃς*, quod verbum ubique fere in monumentis christianis comparet, Latinis litteris scriptum est; item fortasse (neque enim constat quomodo intellegendum sit) 1921 (Viennae) *grammati*: pro *γραμματεῖ*?

Edicti Diocletiani De pretiis rerum venalium a. p. Chr. 301 scripti omnia fragmenta et Latina et Graeca per Aegyptum Asiam Graeciam reperta sunt. Saepe certe Graece vertebatur exemplum Latinum, saepe Latinum lapidi mandabatur ab homine Graeco. Quarum transcriptionum genus utrumque vestigia quaedam reliquit, observata tamen optime illa quam vidimus lege, ut ne semel quidem verbum Latine scriptum inter Graeca, Graece scriptum inter Latina occurrat;

vitabatur enim ne characteres miscerentur. Nam plurima immixta sunt Latina Graecis[1]), sed Graece scripta, conservatis interdum formis Latinis: VIII, 8 λωράμεντα, VIII, 25 ὀβιφέρι (= *oviferi*) frg. Ger.[2]), XXX, 4 αὐρικαεσωρίβους (sic! = *auricaesoribus*). Item satis multa sunt verba Graeca in exemplo Latino; quod cum a Graeco homine describeretur, talia facile evadere potuerunt qualia XII, 5 *LATITVDINIC* frg. Myl., praef. I, 13 *CEPE* (= *spe*) frg. Plat. Lat., VI, 68 *rhosae*, VII, 48 *soubtili*, II, 19 *rhosati* frg. Strat., cf. XVIII, 4 *EΠEAΣ* (= ἐρέας) frg. Megal.

1) Der Maximaltarif des Diocletian erläutert von H. Blümner. Berol. a. 1893, p. 57 sq.

2) De vocabulis *equifer*, *ovifer*, *caprifer* egit F. Stolz, Histor. Gramm. der lat. Spr. I (Lips. a. 1894. 1895) p. 408.

B. Libri calamo scripti.[1]

Iam incipit quaestionis pars altera eaque multo maior, quae rationem spectat vocabulorum Graecorum litteris Graecis aut Latinis scribendorum adhibitam in libris calamo exaratis. Inscriptiones veteres qui contemplatur ipsum morem atque usum hominum antiquorum manibus tenet; codices autem in quibus nunc extant libri Latini calamo scripti quis nescit quot erroribus atque peccatis foedati sint? Codicis tamen archetypi, ex quo deducta sunt exemplaria quae adhuc supersunt, scriptura plerumque facile investigatur; quin etiam saepe concludi potest utrum vetusta sit illa in archetypo lectio an nova atque falsa. Certissimam de archetypo et de autographo ipsius poetae conclusionem admittit e. g. Vergili Catalepton (ed. Birt a. 1910) II b, ubi v. 4 *t(h)au gallicum*, *min et spin* (= σφὶν) his litteris scriptum est, item VII, 2 *pothos(-us)*.

Deinceps Plauti comoedias, Lucili saturarum quae supersunt, Ciceronis epistulas et libros philosophicos, Senecae epistulas, Lactanti opera, glossaria Latino-Graeca et Graeco-Latina tractabimus.

I. Plauti fabulae.

Ad fabularum Plautinarum textum recensendum his praecipue codicibus utendum est, qui quid uno quoque loco exhibeant docet editio quam Ritschl Loewe Goetz Schoell curaverunt uberrima adnotatione critica instructa:

1) Conferatur L. Haveti liber „Manuel de critique verbale appliquée aux textes latins“ (Paris. a. 1911), qui hac de re, quam tractaturus sum, p. 186 pauca verba fecit, sed luculenta; mihi tamen non praesto fuit ille nisi post finitam opellam meam.

recensionis Ambrosianae quam dicunt:
A Ambrosianus rescriptus saec. IV;
recensionis Palatinae P:
B „vetus" Palatinus Vaticanus saec. XI,
C „decurtatus" Palatinus saec. X,
D Vaticanus Ursinianus saec. XI,
T cod. Turnebi deperditus saec. IX (?);
accedunt nonnulli recentiores:
E Ambrosianus saec. XII,
V Vossianus Leidensis saec. XII,
J Londinensis saec. XII.

Quorum unus A olim omnes XXI fabulas Varronianas continuit; nunc I, II, III, V plane perierunt (fabularum ordinem qui est in codicibus recensionis Palatinae dico). B habet fab. I—XX cum fabulae XXI titulo; codicis B similes sunt EJV, in quibus sunt fabulae VIII priores (in cod. V perierunt I, II, III in., VIII fin.), et codicis D pars prior, in qua sunt fab. I—IV v. 503; soli stant C et codicis D pars posterior, quae fab. IX—XX exhibet. T ab omnibus his differebat, fuit tamen et ipse stirpis P; nonnullas eius lectiones a Turnebo descriptas habemus.

Quia Augusti demum temporibus litterae *y* et *z* in alphabetum Latinum receptae sunt, antea ignotae erant, Plautum, si Latine scribebat verba Graeca, pro his litteris Latinas quae tum in usu erant substituisse certum est, et quidem tunc pro υ Graeco Latinam *u*, pro ζ Graeco *s*; ceterum initio verborum *s*, alioquin *ss* scriptas esse testatur Priscianus, ut ex *μύῤῥα, Ζάκυνθος, ἀττικίζω murra, Saguntum, atticisso* fierent. Quod si aliquotiens litteras *y* et *z*, ubi in codicibus comparent, retinuimus, eo consilio id factum est, quod lectio archetypi codicum nostrorum potissimum eruenda esse videbatur, qui Augusti aetate non fere inferior fuit.

Vocabula Graeca ut apud omnes scriptores Romanos antiquiores etiam apud Plautum prorsus abundant. *Machaera, parasitus, sycophantia, morus, danista, drapeta, horaeus, amphora,*

stacta, *fucus*, *glaucoma*, *prologus*, *logus*, *barathrum*, *exagogae* (Truc. 552, *-goce* codd., *c* veterum more pro *g* Latina): quid multa enumerem? De quibus praeter eos quos supra (p. 5 sq.) nominavi scripsit Müller Hopkins.[1] Mirum tamen est quod noluit Plautus comoediarum Graecarum, quas Latine vertit, conservare titulos Graecos; nam pro *Κληρούμενοι* substituit titulum Latinum, sive *Casina* sive *Sortientes* fuit, item maluit pro *Φάσμα* *Mostellariam* scribere, cum et ante et post eum poetae scaenici non dubitaverint fabulas Graece inscribere, velut Naevius *Acontizomenon*, *Agrypnuntas*, *Chlamydariam*, alias plurimas, Terentius *Eunuchum*, *Heauton timorumenon*, *Hecyram*, *Adelphus*.

Omittimus omnia ea de quibus non dubium est neque umquam dubitavit quisquam quin Latine scribenda sint. Huc etiam referenda sunt fabularum Graecarum nomina, quorum Plautus in prologis mentionem facit, ut Cas. 31 *Clerumenoe vocatur haec comoedia Graece* (*Clerumoene* BV, *Clerrimoene* E, *Clarumoenoe* J), Mil. glor. 86 *Alazon Graece huic nomen est comoediae*, Merc. 5 *Graece haec vocatur Emporos Philemonis* (*-us* codd., v. supra p. 10), Trin. 18 *Huic Graece nomen est Thensauro fabulae* (sic ABCD; haec forma Latina videtur iure scripta esse). In didascalia quam praemittit Sticho cod. A legitur *Graeca Adelphoe Menandru*, cf. didascalias Terentianas, ubi *Menandru* exhibet cod. Bembinus, *Menandri* codices reliqui.

Ac primum querendum est codicis A, quem propter vetustatem ceteris libris omnibus longe excellere credas (ut excellit multis in rebus), in ea quam agimus quaestione vix maiorem esse fidem quam codicum fontis P sex fere saeculis post illum conscriptorum. Quod perspicue apparet ex duobus locis inter se comparatis, quibus scribunt editores Graecis litteris *Ὦ Ζεῦ*: Pseud. 443, ubi exhibet *OZEU* A, *ωZEY* P (BCD); contra Cas. 731, ubi *ωZ✳Y* A, *ozeu* P (BVE). Mira haec est inconstantia. Sed ne credat quispiam forte temere in alterum

1) Transactions and Proceedings of the American philol. association 29 (a. 1899) p. XIV.

horum locorum falsam scripturam irrepsisse in cod. A, veram inconstantiam non esse nisi in P: alia praesto sunt quae non minus imminuant fidem codicis vetustissimi.

Trin. 669 Atque is mores hominum moros et morosos efficit.

MΩPΩC habet A, perbelle scriptum, nisi esset terminatio in -ως; quam in Graecam immutare oblitus est scriba parum doctus, cum vocabulum Latino alphabeto scriptum quasi fuco scripturae Graecae oblineret (cf. p. 69 *αρχιτεκτος* pro *architectōs*). Accedit quod hoc vocabulum *morus* non semel extat in fabulis Plautinis: Mil. gl. 370 *Ego stulta et mora multum* (sic etiam A), Mil. gl. 672 *Morus es,* Men. 571 *Ut hoc utimur maxume more moro* (deest A, *morum* P), ad Latinam analogiam flexum, ut certa sit scriptura Latina. Prorsus item

Trin. 266 Apage te sis, amor: tuas res tibi habeto.

apace omisso *te* P (BCD), *ΑΠΑΓΕΤΕ* A: ut prae se ferret doctrinam suam, Graecis litteris scripsit librarius A vocabulum hoc tritissimum traxitque ad id insequens illud *te,* quod in P omissum recte restituit Ritschl.

Codicis igitur A in hoc genere scripturae nobis suspectae sint necesse est; cavebimus ne nimium ei tribuamus.

Initium nobis sumendum est ab iis scripturis de quibus satis certe diiudicari potest, tum transeundum ad minus certa ac plane dubia.

Epid. 678 Apolactizo inimicos omnis. Ubi illum quaeram gentium?

Sic cum AP (*-ico* A) summo iure nunc editores; *ἀπολακτίζω* male scripsit Bothe.

Pseud. 700 Nimiumst mortalis graphicus: heuretes mihist.

Sic A et P (BCD), quorum commune testimonium sequi necesse est, nisi quis vult licentiam suam primam legem habere. Nam vocabuli *heuretes* terminatio Graeca non magis offendit quam e. g. Most. 973 *Ma ton Apollo;* verbum enim Graecum est sed litteris Latinis scriptum. Eadem haec res videtur aliquatenus excusare metri illud vitium, quod contra poetarum Latinorum ante Catullum usum pedis paenultimi arsis brevi

syllaba efficitur. Goetz scribit εὑρετὴς; Leo *heuretes*, pro corrupto tamen hunc versum habet. Adnotat enim „εὑρετής ad sensum non satis est, graecum vocabulum adulescentem non decet (cf. Herm. 18, 566), latinum (*heureta est mihi*) metro obest. fort. *heureticissimust*, cf. Mart. 12, 95 *pathicissimos libellos*." Dicit igitur vocabulum εὑρετής cum sensui non convenire, tum, si conveniret sensui, neque ut Graecum sermoni Latino immixtum neque ut iam quasi Latinum factum apte scribi posse. Sed cur utique negemus illud *heuretes* ad sensum satis esse? Maioris sane ponderis est *heureticissimust* aut simile quid; sed etiam *heuretes* quod est in codicibus facile intellegitur. Neque tamen propter metrum potest pro Latino esse, id quod supra monuimus. Relinquitur ut Graecum verbum sit. Quamquam enim, quod monuit Leo, pleraque illorum verborum Graecorum, de quibus dicturi sumus, a servis dicuntur, ut facile nobis persuadeamus non ita liberalem fuisse illum usum admittendi in sermonem Graeca verba, tamen sunt quae a parasitis (Capt. 880 sqq., Pers. 159), sunt quae ab ipsis senibus dicantur (Trin. 187 Παῦσαι, Bacch. 1162 Ναὶ γάρ); qui an minus ingenui sint quam filii sui dubites cum videas his locis eundem virum doctissimum sine ulla dubitione recepisse scripturam Graecam.

Pseud. 654 Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid 'harpax' feceris.

Sic AP (BCD). Nemo, quod videam, adhuc quin Latinis litteris scribendum esset dubitaverat; Leo scribit ἅρπαξ.

Most. 973 Quanti? Triginta — Talentis? Ma ton Apollo, sed minis.

Sic manifestissime A et P (*matonapollo* AB, *maton apollo* CD). Editores, quantum scio, omnes litteris Graecis usi sunt; iniuria.

Capt. 880 item *maton apollo* praebent codd. P (BEJV), non adest A; sed collato Most. versu 973 maiore cum confidentia hic quoque Latinis litteris scribendum esse iudicabimus quam si solus staret hic locus. Hoc autem cognito atque confirmato fieri non potest quin idem cadere censeamus in versus quos subicio:

Capt. 881 Meum Stalagmum, meum qui gnatum subrupuit? Ne tan Coram.

tan (*n* ex *m*) E *corã* EV

882 a Iam, divi, — Ne tan Prenestem.

tam B *tã prenestẽ* EV

882 b — venit? Ne tan Signeam.

tã EV

883 a Certon? Ne tan Frusinonem.

Ne tã frusinonem B
ne tam frusi ñ est E
netan frusi? non est J
ne tã frusi non est V

883 b Vide sis — Ne ton Alatrium.

Ne tã alatrium B
ne ton alatrina E
netan alatrium J
neton alatriũ V.

Varia profecto est codicum memoria, varie editores vitia tollere conati sunt. In uno hoc consentiunt quod omnes Graecis litteris scribunt Graeca; et Schoell quidem:

881 *Ναὶ τὰν Κόραν.*
882 a *Ναὶ τὰν Πραινέστην.*
— b *Ναὶ τὰν Σιγνίαν.*
883 a *Ναὶ τὰν Φρουσινῶνα.*
— b *Ναὶ τὰν Ἀλάτριον.*

Item Bothe et Ussing, sed pro *ναί* semper *νή*, quod neque aptum (Cobet Nov. Lect. p. 652) neque propter codicum memoriam necessarium est, cum non raro pro *αι* dipthongo *e* Latina scribatur; vide Bacch. 1162 *Necar* codd. (BCD), ubi editores omnes exhibent *ναὶ γάρ*, cf. Pseud. 484, et ipso hoc loco Capt. 882 *prenestem*, ubi ne Ussing quidem *Πραινέστην* scribere dubitat. Sententiam idem vir doctissimus his verbis exponit: „Postquam per Apollinem et Proserpinam iuravit,

quia *Cora* etiam Latii oppidum est, inde arrepta occasione ridicule per alias Latii urbes iurat, Praeneste, Signiam, Frusinonem, Alatrium. Omnes autem feminini generis facit, quamvis Frusino masculini esse debeat, Praeneste et Alatrium neutrius." Frusino videtur femininum factum esse ad similitudinem Iunonis, quod nomen et ipsum quondam masculini generis fuisse affirmat Birt (Zur Kulturgesch. Roms. Lips. a. 1909, p. 14); Alatrium autem videtur esse factus deus, praebent enim *ton* EV, *tan* autem, quod in reliquis est, facile ex locis antecedentibus irrepere potuit vel ad nominum qualium Philematium, similium exemplum scribi (*τὸν Ἀλάτριον* Leo Lindsay, *τὸν Φρουσινῶνα* Leo). Docent autem codices ad Latinam analogiam flexa fuisse haec nomina; nam licet credas in *Coram Signeam m* falso a librariis pro *n* substitutam esse, ut videlicet est factum *tam* vel *tā* ex *tan* ter in cod. B, ter in E, bis in V (sed cf. *zamiam* sim. infra p. 30), tamen illud quod exhibent libri *frusinonem*, *frusi n̄ est*, *frusi non est* non est quomodo evaserit ex forma Graeca *Frusinona*. Fuit igitur in P, ut est in libro horum vetustissimo B, *frusinonem* (*-nē*), unde male intellecta virgula reliquorum illud *frusi non est* depravatum est. Superest lectio *Praenestem*: et dubitavi quidem num ita dicere potuerit poeta, nam horrida sane haec est forma; sed postulant codices, et propter nominis formam quae fuit *Praeneste* non licebat scribere Latine *Praenestam*, propter reliqua nomina quae antecedunt et insequuntur Latine flexa non licebat *Praenesten* Graece. Ceterum si Vergilio licebat scribere in ablativo *Praeneste sub ipsa* (Aen. 8, 561), cur non Plauto *Praenestem*? Utut id est: et codicum hoc loco testimonium et Most. versus 973 cum horum primo (Capt. 880) collatus probant Latinis litteris hic scribenda esse omnia, sic fere ut ego conatus sum.

Rud. 363 Credo hercle anancaeo datum quod biberet. . . .

Sic cum B T Bothe Leo (in adnotatione: „fort. *ἀναγκαῖον*") Ussing; *anan eo* CD; *ἀναγκαίῳ* Schoell. Codicis autem T testimonium tam grave est, ut, quin idem fuerit in archetypo P, non dubitemus.

Supersunt multi loci quibus aut codd. P soli adsunt aut adeo contra P testatur A, ut, utrum sequaris, nescias. Ac plerumque Graeca litteris Latinis scripta praebent codd. P, Graecis A, quem iam ante p. 18 sq. nec sine suspicione interdum litteras Graecas nimis adamasse cognovimus. Itaque ibi quoque, ubi nunc deficit A, saepe eum Graeca Graecis litteris scripsisse arbitrandum est, ut „codicum consensus", codicum P dico, de archetypi archetyporum lectione fidem facere vix possit. Intricata res est. Illud tamen tenemus: cum codici A litteras Graecas, librario P Latinas magis placuisse constet (quippe qui nonnullis locis Graecas cum Latinis commutaverit, de qua re v. infra), si quid A Latine aut P Graece scribit confidentius id genuinum esse iudicabimus, ut supra iudicavimus de Epid. v. 678, Pseud. 700, Most. 973. Ita

Pers. 159 *Πόθεν* ornamenta? Abs chorago sumito.

IIoEnorn- B, *ΠΟΘe orn-* D, *Πoe orn-* C. Item

Pseud. 484 *Καὶ τοῦτο ναὶ γάρ.* Ecquas viginti minas.

Cetuton kaito itone gras B
ceu ton kaito ito negaris C
ceuton Kaito ito negars D, et

Pseud. 488 Fatere? dic. *Καὶ τοῦτο ναί, καὶ τοῦτο ναί.*

Fateri di chaytoyna Chaitoyionai B
fateri Dichaytoynachaitoyinai C
fateri Dichay toyna chaytoyionai D.

Ex communi fonte hauserunt BCD, ubi fuerit v. 484 *kai toito ne gar*, ad litteram fere de Graeco descriptum (cuius generis plurima sunt in glossis Graeco-Latinis, cf. C. Gl. Lat. III, 488, 47; 489, 13. 23), praemissis tamen primis verbis phonetice scriptis *ce tuto n(e)*. Etiam magis codicum fontis P librarium scripturam Graecam invenisse et in Latinam transcripsisse elucet ex v. 488, ubi praeter litteram *k* (quae in Latinis rara est) et *ai* pro *αι* (Latine scribendum fuit *ae* vel *e*, cf. 483 *nae gar* B, *negar* CD, Bacch. 1162 *Necar* BCD) etiam *oy* pro

ου scripta (484 *i* ex *y* facta[1]); Latine postulabatur *u*, cf. v. 712 *tutopoio* A; *Graeca Menandru*) originem Graecam indicat. Cf. v. 712, ubi adhuc asservantur in stirpis P codicibus litterae *π* (*τ*) *ω* Graecae, *n* pro *π* scripta, et plurima huius generis in glossis Graeco-Latinis, velut C. Gl. Lat. III, 488, 47 *anoys sine sensu*, 489, 13 *applois simplex*, ibid. 23 *apnois sine spiritu*.

Pseud. 483 Meum amare? *Ναὶ γάρ.* Liberare quam velit?

nae gar B, *negar* CD. Scribendumne sit Graecis litteris propter artissimam loci et sententiae propinquitatem, qua hic versus cum 484. 488 coniunctus est, an sequendum auctoritatem codicum P, dubitamus.

Pseud. 712. Quis istic est? Charinus. Euge, iam *χάριν τούτῳ ποιῶ.*

Sic Scaliger Goetz Leo; *euge* |||||| *tutopoio* A, litteris Latinis,

charytoi io πolω B
charytoι ιo no Lω C } P,
chary toi io nolω D

quas scripturas etiam magis apertum est ex Graeca natas esse (*n* ex *π*, praeterea ipsae litterae Graecae) quam in v. 488. Atqui Latinis litteris haec dedit A, Graecis P contra consuetudinem utriusque. Idem dicendum et querendum est de v. 443:

Pseud. 443 *Ὦ Ζεῦ*, quam pauci aeque estis homines commodi.

Sic edd.; *OZEU* A, *ΩZEY* BCD. E contrario suum quisque testium morem secutus est in

Cas. v. 731 *Ὦ Ζεῦ*, potin a med abeas.

Sic edd.; *ΩZ✳Y* A, *ozeu* BEV. Nihil certi habemus.

Bacch. 1162 Pol vero ista mala et tu nihili. Quid multa? ego amo.
An amas? *Ναὶ γάρ.*

---

1) Cf. quae leguntur apud Cassiodorium Gramm. Lat. VII, 158 K.: *Eutalium Eupolim et alia huius modi quidam per y litteram scribenda putaverunt, eo quod graeca esse dicerent: sed apud nos y littera numquam vocali coniungitur.*

Sic edd.; *Necar* BCD, unde *ne carpe* librarius quidam, quod Bothe recepit; sed cum horum P librorum testimonium, praesertim cum de scriptura Latina agatur, non nimis multum valeat, retineant, qui velint, litteras Graecas et hic et in reliquis versibus aeque incertis. Item enim soli codd. P adsunt

Truc. 558 Puras sibi esse volt suas aedis: domi quidquid habet vehitur exo.

neititur exo B, *neititur exeo* CD; ἔξω editores. Scripsi *exo* Latinis litteris, quia tam bona est in codicibus scriptura (vitii enim in CD origo perspicua est); quamquam Pers. 159 Graecas litteras praeferendas esse censuimus: minimam enim constantiam expectari posse apparet.

Trin. 1025 Nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper.

apothecam codd. P (BCD), quo vocabulo Romanis tritissimo facile suo loco depelli potuit illud *epithecam* quod Plautus scripsit satis inusitatum Romanis et quod solo hoc loco invenitur, vix tamen depelli potuit nisi Latine erat scriptum. Quia autem iam in librorum BCD archetypo fuit *apothecam*, iam pridem Latinis litteris *epithecam* fuerit scriptum et terminatio Latina *-am* admissa necesse est; rectam autem hanc esse flexionem nobis persuademus coll. Aul. v. 197 *zamiam*, Pseud. 1268 *prothyme*, aliis. Hiatus in diaeresi facile toleratur. Sed postquam Camerarius *epithecam* scribendum esse cognovit, quem Bothe Ritschl Ussing Leo sequuntur, propter hiatum ἐπιϑήκην proposuit Scaliger, quod repetiit Schoell. Quod commendari credit hic vir doctissimus Graecorum in hac fabula vocabulorum παῦσαι v. 187, οἴχεται v. 419, πάλιν v. 705 exemplo, in his ipsis minime constare de scriptura nihil curans; nam in

Trin. v. 705 Noenum possum quin exclamem: euge euge, Lysiteles, palin

codd. P habent Latinis litteris scriptum *palin*, atque hoc in contextum recipimus ut Truc. 558 *exo*; in versibus autem 187 et 419 admodum dubia res est:

Trin. 187 *Παῦσαι*: vicisti castigatorem tuom.

ΠΑΥϹ✳Ι A, *Pausa* P (BCD).

Trin. 419 Ratio quidem hercle apparet: argentum *οἴχεται*.

ΟΙΧΕΤΑΙ A, *oechete* (-*tę*) P (BCD).

Nam codicem A in ipsa hac fabula suspectum esse ex vv. 266. 669 cognovimus.

Men. 839 Poste autem illic hierosylus qui saepe aetate in sua.

Sic Birt (Hiat b. Plaut. p. 360) demonstravit codicum P illud *Post te autem illi circo salus* intellegendum esse; atque perbene sane respicit codicum memoriam. Nomen *hierosylus*, etsi Graeci nominis locum obtinet, terminationem Latinam accepit ut Truc. 78 *phronesim* (v. infra p. 30), alia.

Cas. 728 Quae res? Haec res. Etiamne adstas? Enim vero *πράγματά μοι παρέχεις*.

729 Dabo tibi *μέγα κακόν*, ut.

731 *Ὦ Ζεῦ*, potin a med abeas.

Graecis litteris Graeca sine peccatis, quod cognosci possit, scripta exhibet A, et eo verborum ordine quem ipse supra Schoellium secutus descripsi; codices ceteri, quantum ad nostram rem pertinet, eadem fere habent verba, nisi quod B librarius errore quodam ante *moe parechis* iterum posuit *Meo acacon*; sed Latinis litteris scripta Graeca:

pragmata moe parechis B
pragmata moe perechis EJV, et
Meo acacon B
Me cacacon E
Me cacaon V
meca cachon J.

De *ὦ Ζεῦ* supra dixi. Fuit igitur in codicum BEJV fonte *moe par(p)echis* et *mecacacon*, atque deest certum indicium quaerentibus nobis utrum haec scriptura ex Graeca transcripta an genuina sit. Sed extat apud Turnebum in cod. T „plane et litterate perscriptum“ fuisse „dabo *μέγα καλὸν*“; unde sequitur, nisi quis credit in describendo plane neglexisse Turne-

bum litterarum genus, hanc veram esse archetypi P scripturam, codicum BEJV librarios pro consuetudine sua Latinas litteras pro Graecis dedisse. Etiam in versibus antecedente et insequente libro A fidem habendam nunc censemus.

Quae adhuc vidimus erant singularia plerumque verba Graeca aut pauca verba ad brevem exclamationem aut simile quid coniuncta. Plenior locus hic est. Nam proverbium Graecum extat

Stich. 707 Cantio Graecast: ἢ πέντ' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα.

cępente pine et trispine emet (einet B) *ettara* P (BCD). In A prima verba *cantio Graecast* apparuerunt, reliqua versus pars vacua est. Latinis litteris utuntur BCD, sed aliquatenus corrupta sunt quae praebent, ut olim Graecis litteris ea scripta fuisse liceat credere. Ac neque de primis verbis constat (*Cantio est graeca* P, *cantio Graecast* A) et ipsa Graeca verba corrupta sunt. Nullo enim pacto bifarium illud *pine* in metrum quadrat; qua de causa proposuit Ritschl, quem sequuntur Ussing et Leo, id quod supra scripsimus, primorum verborum ordinem ex cod. A sumens ac prius illud *pine* delens, hoc denique adnotans: „Graecis verbis Plautus usus esse ut latinis videtur, ita ut ad latini septenarii rationes prosodiacas accommodaret. Qui si graecorum numerorum mensuram servasse credetur, facile cuipiam sic scripsisse videbitur: »Cantiost: ἢ πέντε πίνειν ἢ τρί' ἢ μὴ τέτταρα«: quam formam παροιμίας testantur Plutarchus Quaest. sympos. III 9 . . .“.

Poen. 137 Gerrae germanae, hae de collyrae lyrae.

hae decollyrae lyre B
hę de col lirae lire C
hędecol lirę lirę D
. . . . *lyrae lyrae* T.

Varie conati sunt haec emendare; Graeca scriptura plerique usi inde ab Aldina, velut *edepol* λῆροι, λῆροι *meri*; *hercle et collyrae* scripsit Ritschl, *escariae* vel simile quid post *collyrae* intercidisse suspicatus; Palmer autem intellexit nulla plane

mutatione opus esse: esse proverbium αἱ δὲ κολλῦραι λύραι, quod sic interpretatur: „Give me a loaf; I can do without thy blarney." Emendatissime hoc extat in codicibus scriptum; nulla enim littera mutatur, si velis agnoscere scripturam Latinam genuinam esse, quod et codicum BCD testimonium et codicis T cum iis consensus postulat.

Mil. gl. 436 haec sunt in libris manu scriptis: *Quis igitur vocare PHI. dicere nomen est iniuria est.* In *dicere* nomen proprium latet, quod sibi vindicat Philocomasium. Atque v. 438 praebent codices haec: *Adice testu ñ* (*non* B) *dicat ei et meo ero ñ facis iniuriam*, ubi *Adice* et *dicat ei* ad nomen illud referenda esse veri simile est. Itaque inde a Camerario in v. 436 *Glycerae* viri docti scribere solebant, sic etiam Ritschl et Goetz, qui in v. 438 scribit „in loco desperato":

Abi, picra's tu, non clucidata, et meo ero facis iniuriam,

longe de codicum memoria decedens. Satis mirum hoc est, nam Spengel qui scripsit in v. 436

Quis igitur vocare? Δικαίᾳ nomen est. Iniuriast

et in v. 438

Ἄδικος es tu, non δικαία et meo ero facis iniuriam

veri simillimam ac plane veram horum versuum corrigendorum rationem iam invenerat. Multo enim melius haec quam omnia, quae proposuerunt alii, cum iis quae praebent codices conveniunt; quorum in v. 438 peccata a scriptura olim Graeca videntur originem trahere. Pro Δικαίᾳ autem *Diceae* scribendum est, ut scribunt Ussing et Leo, nullum enim apud Plautum nomen proprium Graecis litteris scribitur; ex quo sic *dicee* scripto facile librarius *dicere* facere potuit. Confirmantur omnia quae diximus versu eiusdem fabulae 808, ubi *Diceam* scriptum exhibent BCD, ut scribendum esse censuimus.[1])

Restat ut de nonnullis locis verba faciamus, iis praecipue, quibus scripturam Graecam falso introduxerunt homines recentiores.

1) Dactylus in tertio pede trochaico habet quo defendi possit.

Men. 779 Loquere, uter meruistis culpam, paucis: non longos logos.

λόγους
locos BCD, *logos* cod. F (s. XV). Graecum apparet additum esse ab homine docto illorum temporum.

Epid. 144 sq. Unde lubet: nam ni ante solem occasum elo * * * * *
Meam domum ne inbitas. Tute in pristinum * * * * *

De accipienda pecunia dicitur. In libris defectus nullum indicium est; sed debent hi esse septenarii trochaici, tales enim antecedunt et sequuntur; sententia quoque aliqua intercidisse monet. ἕλω, quod est in editione principe, non quadrat in metrum; *e loculis adferes* aut simile quid nunc credunt supplendum esse.

Pers. 234 Sed ego cesso. Mane. Molesta's. Ergo ero quoque, nisi scio.

Verbum *ero*, quod post *ergo* omiserat librarius P, optime restituit Bothe. Nihili autem est quod Goerke ponit ἔργῳ.

Pers. 843 Pergraphice hunc volo ludificari. . . .

Sic Ussing Schoell. Post V vel VIII litterarum defectum *hice* (*hic ẽ*, *hic est*) exhibent codd. P (BCD); *graphice* praebebant „libri veteres“ Lambini et cod. Scaligeri. Nullo iure κόλαφιζ᾽ (sic; videtur esse κολάφιζ᾽) scripsit Goerke ad v. 846 similitudinem: servusne enim mulierem iubeat κολαφίζειν lenonem? Praeterea codd. P litteram *c* servant . . . *hice*, cum Epid. 678 *apolactizo* per *z* scriptum praebeant (*apolactico* autem A). In v. 846, paucis versibus post, Goerke pro *ei, colapho me icit* (*colaphum icit* codd.) scripsit *heu*, κολαφίζει, quod metro obest.

Poen. 648 Canes compellunt in plagas lepide lupum.

Sic nunc editores cum cod. A; *lycum* praebent BCD. Utrum genuinum fuerit *lupum*, *lycum* autem (cum terminatione Latina ut Aul. 197 *zamiam*) ad similitudinem nominis lenonis in cod. P substitutum sit, an P retinuerit rectum, A librarius liberius immutaverit vel interpretatus sit, vix discernas. Apparet non fuisse scripturam Graecam (λύκον Bothe Goerke).

Truc. 77 sq. . . . Phronesium
Suom nomen omne ex pectore exmovit meo.

Sequitur in codd. P (BCD) *phronesium nam phronesis est sapientia*, quod cum glossema esse Camerarius alii censuerint, Vahlen in Hermae vol. XVII p. 275 sq. demonstravit in contextum recipiendum esse (ut fuerat in editione principe) mutato *phronesium* in *phronesim*. Ipse quoque Goerke recte pro genuino hunc versum habuit, debebat tamen litteris Latinis scribere *phronesim*, non *φρόνησιν* Graecis. Terminatio Latina est ut Aul. 197 *zamiam*, Lucil. v. 545 *eupatereiam* (infra p. 35).

Most. 41 *canem capram commixtam* (*-nam* D[1], *-pra n* B[1]) codd. P. *caeno κοπρὸν commixte* coniecit Leo; quod utique litteris Latinis scribendum fuit *copron*. Birt censet sic scribendum esse *canis capra commixte* coll. Verg. Aen. 6, 762 sq. *Italo commixtus sanguine . . . Silvius.*

Tamen quam scripturam ipse Plautus adhibuerit ignoramus; nam ea quae de scriptura statuimus ad Varronis exemplum referenda sunt, qui Ciceronis fere aequalis fuit. Ipsius autem Ciceronis similis usus est: in eius quoque libris verba Graeca partim Graecis litteris partim Latinis scripta leguntur; de qua re infra verba faciemus.

II. Lucili saturarum quae supersunt.

Quaestio quam scripturam Lucilius (ed. Marx) adhibuerit vocabulis Graecis, quae permulta sunt in eius saturarum reliquiis[1]), ea de causa difficillima est, quod fragmenta illa afferuntur a scriptoribus quorum plerique nonnullis saeculis post ipsum poetam fuerunt; notum autem est Lucili saturas primo a. Chr. n. saeculo iterum editas esse. Itaque saepe dubitandum est utrum Lucili usum teneamus an eae quas nunc videmus scripturae recentioribus hominibus debeantur. Ipsa

1) Hor. sat. 1, 10, 20 sq. *At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis Miscuit.*

littera *y*, quae saepe occurrit, ante saeculum I a. Chr. n. in vocabulis Latino alphabeto scriptis locum non habuit. Tamen vestigia quaedam veteris scribendi consuetudinis non desunt; legitur enim v. 103 sq. *Regina* . . . *moenia* (sine aspiratione), 105 *Symmacus* (item), 86 *scis* (= *sis*; cf. infra p. 32); accedunt haec quae sequuntur[1]: 1155 *hrysizon* (= χρυσίζον; cf. infra), 71 *hrodyty* (= χειριδωτοί sive χειροδυτοί; cf. infra). Denique quod e. g. Varronis saturarum Menippearum tituli Graeci apud Nonium Marcellum litteris Graecis scribi solent, vocabulorum Graecorum in Lucili fragmentis et apud Nonium et apud ceteros auctores pleraque Latinis, nonnulla Graecis, id non ab hominibus grammaticis videtur factum esse. Diligenter igitur examinanda est codicum memoria.

Initium capiamus ab iis locis ubi scriptura Latina tradita est.

v 542 M. Conpernem aut varam fuisse Amphitryonis acoetin.

Haec verba Graeca ex versu Homerico λ 266 sumpta sunt, ubi est Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν. Hoc fragmentum extat apud Nonium p. 26, 2.

25 Thestiados Ledae atque Ixionies alochoeo.

Cf. Hom. Ξ 317 Ἰξιονίης ἀλόχοιο. Apud Non. p. 258, 42.

1111 Archaeotypa * * unde haec sunt omnia nata.

Apud Atil. Fort. Gramm. Lat. VI, 278, 19 K. *archeotyra*, *-typa*, *archetypa* codd., *archetypos* Keil, *archaeotera* Marx. Corruptela ad *archeotypa* ducit (cf. ἀρχαιότροπος apud Thuc.); scriptura *-tyra* ex littera *P* pro Graeca accepta orta est.

71 Chirodytoe aurati, ricae, toricia, mitrae.

Apud Non. p. 539, 24. Sic Marx, *hrodyty* codd.; cf. supra.

1155 Defusum e pleno chrysizon . . . vinum.

Apud Cic. de fin. 2, 8, 23. *hrysizon* fere codd.; cf. supra.

753 Eidola atque atomus vincere Epicuri volam.

Apud Non. p. 478, 25.

---

1) Th. Birt, Der Hiat bei Plautus. Marpurgi 1901, p. 42.

1199 . . . lecti omnes. Atticon hoc est.

Apud Don. ad Ter. Phorm. 1, 2, 3.

641 Cum stadio in gymnasiu duplici corpus siccassem pila.

Apud Non. p. 394, 32. *gymnasio in* codd.; cf. quae supra p. 10 diximus.

752 Ephebum quendam quem pareutacton vocant.

Apud Non. p. 67, 15.

1321 Vernam ac cercopithecon.

Apud Non. p. 43, 14. *verna accer cupit hecon* codd.; ita discerptum est vocabulum Graecum, ut Latinorum similia fierent; quod satis vetustam esse scripturam Latinam docet. Cf. infra p. 41. Item

86 Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis.

Apud Cic. de or. 3, 171. *rhetorico te rustus eis* codd.; de *seis* cf. supra p. 31.

Longum est omnia enumerare. Graecis autem litteris haec scribenda sunt:

462 sq. Non paucis malle ac sapientibus esse probatum
Ἦ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν?

Apud Non. p. 519, 11 sq. In codicibus bis pro κ scripta est littera *H*, praeterea *HATAHOMENOICIN* i. e. καταπθιμενοισιν, ex quo uno indicio conclusit Marx (II p. 171) versum hunc Graecum antiquitus scriptum fuisse litteris Latinis; nam quod in archetypo fuisset καταπθιμενοισιν, id Latinum esse *catapthimenoisin*. Fortasse tamen non recte; nam facile librarius quisquis fuit Romanus Latinum hunc usum in vocabulum Graecum quod inter Latina Graecis litteris scriptum erat transferre potuit; atque si olim totus hic hexameter Latine scriptus fuisset, nunc plura in eo vestigia Latinae scripturae comparere expectares. Accedit quod etiam apud Graecos ipsos in inscriptionibus talia ut ἄπθιτον, καταπθιμένης quamvis raro inveniuntur.[1])

1) Fr. Blass, Über die Aussprache des Griechischen. Berol. a. 1888³, p. 103.

1131 *Χῖός τε δυνάστης.*

Apud Serv. ad Verg. georg. 2, 98. Graecis litteris haec verba in codicibus exarata leguntur; nam *exiocte* illud quod nonnulli praebent pro Graeco *XIOCTE* scriptum esse apparet.

923 At cui? quem febris una atque una *ἀπεψία*,
Vini, inquam, cyathus unus potuit tollere.

Apud Non. p. 406, 23. Sic litteris Graecis scriptum extat.[1]

355 *Ἄρες Ἄρες* Graeci ut faciunt.

Apud Ter. Scaur. Gramm. Lat. VII, 18, 17 K. *apec ape* aut similia codd., i. e. *APEC APEC.*

789 (*Γῆ* corpus, anima est *πνεῦμα*): posterioribus.

Apud Prob. ad Verg. eclog. VI, 31 p. 340, 23 Hagen. *XH* cod. Paris., *Tum* cod. Vat. (saepe scibitur *T* pro *Γ*), utramque vocem Graecam om. cod. M, scilicet propter scripturam Graecam. Ibidem:

786 Non aderit: *ἀρχαῖς* hominem et stoechiis simul
Privabit, igni cum et aqua interdixerit.

Sic scriptum est in Probi codicibus, nisi quod *ἀρχαῖς* om. cod. M. *στοιχείοις* Graecis litteris scripsit Buecheler Mus. Rhen. 43, 292. Marxi autem sententiae, qui censet fuisse „scriptum . . . antiquitus *arcais* et *stoeciis* utrumque litteris Latinis“ (II p. 276), codicum memoria repugnat: quem enim librarium alterius vocabuli Latinis litteris exarati scripturam commutasse, alterius integram reliquisse putemus?

342 sq. Illa poesis opus totum, (tota Ilias una
Est, una ut *θέσις* annales Enni) atque opus unum.

Apud Non. p. 428, 13 sq. *θεσις* sic scriptum in codicibus legitur; pro *opus* (Marx) exhibent *stoc*, quod tamen potius fuisse *EΠOC* cum Lachmanno crediderim.

961 *Ὠμοτριβὲς* oleum Casinas.

Apud Priscian. Gramm. Lat. II, 338, 8 K.

---

1) Quod in codd. legitur *hiatrus* pro *cyathus*, cf. Th. Birt, Der Hiat bei Plautus. Marpurgi 1901, p. 42.

185 sqq. . . . Hoc 'nolueris' et 'debueris' te
Si minus delectat (quod *ἄτεχνον*) et Eissocratium hoc
*Λῃρῶδες*que simul totum ac si miraciodes.

Apud Gell. 18, 8,2. In codicibus haec inveniuntur: *atexnon*, (*F*)*οχλῃρωδες*, *si miratio des*, *symmiraciodes* atque similia. Marx cur *lerodesque* et *miraciodes* scripserit his verbis exponit (II p. 79): „Verba Graeca Latinis litteris scripsi ideo quia librario archetypi deberi formas, quas apographa servarunt Graecas perspecta formarum *symmiraciodes* . . . et *ὀχλῃρῶδες* origine patet." Iure quidem videtur *miraciodes* sic scribendum esse, cf. quod de v. 1321 diximus; minus autem constat de vocabulo *λῃρῶδες*; nam etiam si genuina scriptura fuit Graeca fieri certe potuit ut librarius, dum ea quae ei describenda sunt quasi auribus audit, pronomen *hoc* ad vocabulum Graecum, quod non intellegebat, traheret et sono oboediens Graecis litteris exararet, eo praesertim tempore cum et Latina et Graeca maiusculis litteris scribebantur. Quod in uno eodemque versu alterum vocabulum Graecum Graecis litteris, alterum Latinis scribitur, pertinet etiam ad versum 786. Neque tamen viro illi doctissimo contradicerem, nisi in versu proximo *ἄτεχνον* sic scribendum esse littera *x*, quae in codicum illo *atexnon* comparet, iuberet, cuius Marx ne mentionem quidem facit. Quid enim? Librarium quendam scripturam Latinam invenisse et in Graecam transcripsisse, alterum rursus pro Graeca Latinam substituisse suspicemur, relicta una littera Graeca *χ*? Simplicius profecto erit si ponemus vocabulum *ἄτεχνον* antiquitus Graecis litteris hoc ioco scriptum fuisse, item *λῃρῶδες*; utrumque autem monet memoria codicum.

113 *Αἰγίλιποι* montes, Aetnae omnes, asperi Athones.

Apud Gell. 16, 9, 6. Formam *αἰγίλιποι* pro *αἰγίλιπες* scriptam iure ut videtur defendit Loewe Prodr. p. 337. *aigilipes* scribit Marx atque cur scripturam Latinam adhibuerit his verbis exponit (II p. 54): „Gellii librarii saepe Graecis litteris exprimere sese studuerunt Graeca poetamque male lacerarunt: conf quae scripsimus ad lib. I v. 15 V v. 186." Locorum ad quos nos

mittit editor unus v. 186 apud Gellium extat, atque aliter nos de illo iudicavimus; alter autem et traditus est apud Macrobium, ut de Gelli librariorum peccatis nihil doceat, neque tam plane scripturam Graecam exhibet quam versus 113, sed paucas tantum litteras Graecas Latinis admixtas. Sunt autem versus hi:

15 sq. Porro 'clinopodas' 'lychnos'que ut diximus semnos
Ante 'pedes lecti' atque 'lucernas' . . .

Apud Macrob. Sat. 6, 4, 18. *κειnopodac clinopodas lichnosq.* et *cemnoc* traditur. Recte ad hunc locum adnotat Marx (II p. 10): „Verba poetae recte tradita erant in archetypo litteris Latinis: quae Graecae aut litterae aut voces illatae sunt in codd, eae natae sunt curiositate librariorum qui solebant litteris Graecis ludere in codd . . . vide quae adnotavimus ad lib. V v. 186", quamquam versus 186 illud non probat, nam plane alia ibi res est. In hoc enim v. 15 et vocabulum *clinopodas* falso bis scriptum extat et nonnullae litterae minusculae Graecae comparent, quas non recte pro Latinis scriptas esse sibi persuadebit quicumque cognoverit vocabula Graeca apud Macrobium aut litteris minusculis Latinis aut maiusculis Graecis exarata esse.

540 Num censes calliplocamon callisphyron ullam,
545 [*Κού*]*ρην* eupatereiam aliquam rem insignem habuisse.

Apud Non. p. 25, 28; 26, 5. In codicibus est in v. 540 *ra aΛΙCΦΥΡΟΝ* aut simile quid, v. 545 *PINΕΥΠΑΤΕΡΕΙan*. „Vocabula antiquitus Latine scripta fuisse, tum ab archetypi librario sciolo litteris Graecis exarata fuisse evincitur posito contra metrum *ΕΥΠΑΤΕΡΕΙ an*" (Marx II p. 203). Terminatio *AN* sine dubio tum, cum iam Graecis litteris in archetypo scriptum erat hoc vocabulum, simul cum verbis Latinis ab alio quodam librario qui Graeca non intellegebat ex scriptura maiuscula in minusculam transcripta est. Eodem modo ex primis litteris *ΚΑΛ* vocabuli *καλλίσφυρον* male intellectis illud *ra a* factum est; atque si recte iudicat Marx litteris Latinis olim *eupatereiam* scriptum fuisse, de vocabulo *callisphyron* fortasse idem suspicandum est.

303 sq. Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Fictricis conpono, hoc est cum psolo copumai.

Qui versus duobus apud Nonium locis traduntur, p. 257, 40 et 308, 22; atque hoc p. 308 Graecis litteris *via ωλοκοπουμῃ*, illo p. 257 Latinis *ipso loco pomas* exaratum est. Utri scripturae fides habenda sit vix discernas; qua de causa non minus recte videtur Marx scribere *psolo copumai* quam editores reliqui *ψωλοκοποῦμαι*.

Idem igitur hic usus est atque in fabulis Plautinis: vocabula enim Graeca et Graecis et Latinis litteris scripta inveniuntur. Sed ne Lucili quidem fragmenta quae nunc habemus ad ipsum poetam redire supra monuimus (p. 30).

III. Ciceronis epistularum ad familiares libri VII—IX.

Ciceronis ad familiares epistulae (ed. Mendelssohn) iam pridem in binos codices ita distributae sunt, ut pars prior libros I—VIII, pars posterior libros IX—XVI complecteretur. Utramque partem continet cod. M Medic. 49, 9 s. IX—X; accedunt in priore parte

<table>
<tr><td>G Harleianus 2773 s. XII</td><td rowspan="2">} X,</td></tr>
<tr><td>R Parisinus 17812 s. XII</td></tr>
</table>

in posteriore

<table>
<tr><td>D Pal. 598 s. XV—XVI</td><td rowspan="3">} Y.</td></tr>
<tr><td>H Harleianus 2682 s. XI</td></tr>
<tr><td>F Berolin. 252 s. XII—XIII</td></tr>
</table>

Quando orti sint bini hi memoriae rami in obscuro est. Tamen duplicem hanc in posteriore parte traditionem extitisse vigentibus adhuc studiis Graecis docent ea quae leguntur in ep. 9, 22, 5 *ὁ σοφὸς εὐθυρρημονήσει*, ubi est *ευθυρημονεσει* in M, *ευθυρυμονησει* in HD: nam littera *η* cum similibus *ε* et *υ* commutata probat librarios illos qui hoc mutaverunt satis quidem indoctos fuisse neque tamen caruisse arte legendae scripturae Graecae; quod accidere non potuit tum, cum litterae Graecae iam oblivione obrutae erant.

Atque iam tum haec verba ὁ σοφὸς εὐθυρρημονήσει Graecis litteris scripta fuerunt. Neque ulla in libris VII—IX est codicum dissensio, quantum ad nostram quaestionem pertinet, si quidem Mendelssohnio fides habenda est. Nam e. g. 9, 26, 1, ubi ipse scribit ζήτημα, adnotat in codicibus esse *zetema*, scilicet propter id solum, quod Latinas litteras praebent; item 9, 24, 3 συμπόσια *aut* σύνδειπνα: *symposia aut syndipna* codd.; ut reliquis locis, ubi Graeca Graecis litteris scripta sunt in contextu neque quidquam a Mendelssohnio adnotatum est, ex codicum consensu eam scripturam sumptam esse confidas. Dolendum tamen est quod nimis parce adnotabat ille, velut ad 7, 32, 1 εὐτραπελία *litterarum*: „ευτραπελεια M. Graeca quemadmodum in GR picta sint dicere supervacaneum", ad 7, 12, 2 πολιτεύεσθαι *non oportere*: „ΠΟΛΕΙΤΕΥΕCΕΑΙ M. etiam GR corrupti", cf. ad 7, 26, 2; ad 9, 3, 2 γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας: „γλαυκε in archetypo fuisse videtur", cf. 9, 21, 1; ubi sane uberiorem adnotationem valde desideramus.

De archetypo igitur, quam quoque loco scripturam praebuerit, utrum Latinam an Graecam, numquam dubitari potest. Plerumque Graecam; sed ne iis quidem locis, ubi scripturam Latinam postulant codices (ut 7, 16, 1 φιλοθέωρον: *philoteorum* codd.; alia), semper eam recipiunt nunc editores. Nam uno certe loco apparet scripturam Latinam olim adfuisse, sed pulsam esse a Graeca aut in ipso archetypo aut in aliquo libro ex quo ille fluxit: 9, 16, 4 *cum volumina iam confecerit* ἀποφθεγμάτων (sic Mend.): αποφθεγματωρομ codd. Declinationis Latinae haec forma est: *apopthegmatorum*, gen. plur. per metaplasmum. Cf. Plaut. Trin. 669 μωρως A pro *moros* (supra p. 19), Edict. Diocl. XXX, 4 αυρικαεσωριβους pro *auricaesoribus* (in oratione Graeca; v. supra p. 15). Nihil igitur dubium quin quondam Latine scriptum fuerit hoc vocabulum: quod nescio quis in Graecas litteras transcripsit; ludibrio ni fallor, ut φουτουτρις illud Pompeianum (cf. supra p. 13), nam admissa terminatione Latina quae est *-orum* hoc vocabulum Latinum redditum erat. Hoc autem dolemus, quod neque quando exaratus

sit archetypus patet neque quando in hoc verbo scriptura Latina cum Graeca commutata sit.

Cum archetypum falsa praebuisse viderimus uno hoc exemplo, oritur suspicio num omnino ille testis idoneus sit de scriptura qua prima editio utebatur aut de eorum qui epistulas dederunt ratione scribendi. Sed genuini aliquid retinuisse archetypum probant scripturae quales sunt 7, 32, 2 *acuta* ἀμφιβολία et 7, 16, 1 *philotheorum te praebuisiti* (sic codd., φιλοθέωρον edd.). Mirum certe hoc est, quia vocabulum ἀμφιβολία iam quodammodo apud Romanos receptum erat, litteris enim Latinis scribitur Rhet. ad Herenn. 2, 16 bis, Cic. de div. 2, 56, 116; contra vocabulum φιλοθέωρος nusquam Latinis litteris. Hanc discrepantiam ipsine Ciceroni an editori librariove cuidam tribuamus? Ciceroni quidem non libenter; nullo tamen pacto hominibus grammaticis aut scribis. Tales enim homines semper in eo sunt ut adaequent omnia atque tollant varietates; utrumque igitur sive Graecis sive Latinis litteris scriptum si invenissent voluissentque mutare, non sic mutavissent ut scriptum fuit in archetypo, sed potius *amphibolia* et φιλοθέωρον scripsissent aut reliquissent quae invenerant.

Pauca sunt litteris Latinis scripta. Quorum duo exempla leguntur in epistula 8, 3, quam dedit Caelius ad Ciceronem: *syntagma conscribas* et *didascalian quandam . . . habeat.* Sic codd.; litteris Graecis editores, certe propterea quia alioquin haec vocabula non inveniuntur in libris Latinis (cur tamen idem editores 9, 18, 4 *hypodidascalo* litteris Latinis?). Sed ipsum hoc codicum scripturam commendat; nam veri dissimilius est Latinam scripturam licentiae scribarum deberi, qui praesertim in reliquis bene conservarint Graeca atque adeo uno certe loco substituerint pro scriptura Latina Graecam. Accedit quod in toto libro VIII, qui constat ex epistulis a Caelio ad Ciceronem datis, nullum est verbum Graecum[1])

1) Verba Graeca apud Caelium perpauca sunt; praeter duo illa de quibus egi haec in libro VIII inveniuntur: *syngrapha* et *panthera* compluribus locis, 8, 2, 1 *theatrum*, 8, 7, 2 *moechum*, 8, 13, 2 *stomacho*; de *embaeneticam* 8, 1, 4 non constat.

Graecis litteris exaratum: iam videtur non casu illud factum esse ut Latinis litteris exarata extent illa verba in ep. 8, 3, sed Caeli hic usus fuit, ut Graeca Latine redderet, qui usus a Cicerone in epistulis alienus fuit.

Nam Ciceronis in scribendis Graecis verbis duplicem esse rationem docet codicum memoria. Altera est in libris philosophicis, quorum oratio composita ac diligenter conformata non tolerabat immisceri vocabula Graeca nisi ita ut scriptura dumtaxat adhibita Latina textui Latino accommodarentur; nam in philosophicis libris quos infra tractabimus Graeca Graecis litteris scripta (Paradoxa dum modo eximas) omnino non inveniuntur. Alteram rationem praebet epistularum liberius genus neque perinde legibus severis restrictum: saepissime ibi vocabula Graeca Graecis litteris scribuntur.

9, 4 *Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν . . . ἀδύνατον est te venire . . . utra te κρίσις magis delectet . . . hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν est . . .* Omnia Graeca Graecis litteris codd. Paucarum lineolarum haec epistula est Ciceronis ad Varronem data, hominem scilicet doctiorem quam familiarium plerique: iam ut in epistulis ad Atticum datis non ut peregrina immixta sunt singularia verba Graeca, sed videtur fere composita esse epistula ex Latinis et Graecis, sic ut Ausonius quoque macaronicae poeseos auctor uno in carmine utramque linguam coniungebat. Itaque non miramur scripturam quoque Graecam iuxta Latinam stare.

Iam de reliquis, quae quoque loco scriptura adhibenda sit, nulla potest dubitatio esse. Iuvat nonnulla exempla proponere:

7, 20, 3 librum abstuli *Νίκωνος περὶ πολυφαγίας*.

7, 26, 2 lex sumptuaria, quae videtur *λιτότητα* attulisse.

9, 20, 2 *ὀψιμαθεῖς* . . . homines scis quam insolentes sint.

9, 2, 5 scribere et legere politias (*πολιτείας* Mend.).

9, 18, 4 Sella tibi erit . . . tamquam hypodidascalo proxima.

IV. Ciceronis operum philosophicorum ea tractaturi sumus quae antiquitus uno librorum corpore continebantur et nunc in tribus praecipue codicibus extant: De natura deorum libros, De divinatione libros, Timaeum, De fato librum, Topica, Paradoxa Stoicorum, Lucullum, De legibus libros. Codices hi sunt:

A Voss. 84 s. IX—X
B Voss. 86 s. X
V Vindob. 189 s. X
H Heinsianus 118 s. XI, qui pro AB ubi deficiunt succedit.

Horum librorum archetypus videtur esse saeculi fere V.

Editione in primis quam curavit Plasberg[1]), quatenus in lucem adhuc prodiit, usus sum; editionibus praeterea Orelliana (ed. II) et Muelleriana, editione librorum De legibus quam curavit Vahlen.

Editores omnia fere vocabula Graeca quae ut Graeca in sermonem Latinum inserta sunt litteris Graecis scribunt, velut (nonnulla ex sescentis liceat afferre) Tim. 11, 38 *δαίμονας*, de leg. 2, 13, 32 *μαντικήν*, de nat. deor. 1, 19, 49 *στερέμνια*, 2, 11, 29 *ἡγεμονικόν*. Paradoxa quoque Stoicorum Graece scribunt; et hoc quidem iubentibus codicibus ipsis omnibus, ut semper fere videmus pleniores locos Graecos sive sententias sermoni insertas alphabeto Graeco exaratas esse. Etiam in iis quae praemittit Cicero ipsi paradoxorum tractationi vocabulum *θετικῶς* Graecis characteribus scriptum extat in codicibus omnibus: 5 *quae dicuntur in scholis θετικῶς*, praeterea in uno codice meliore B 4 *ista παράδοξα quae appellant*; ubi tamen *paradoxa* est in AV, item Latine in omnibus codicibus paucis ante: 4 *admirabilia contra opinionem omnium (ab ipsis etiam paradoxa appellantur)*, et in ipso titulo libelli *Paradoxa Stoicorum*. Graecis praeterea litteris aliquot vocabula scripta sunt in quattuor iis foliis quae recentioribus temporibus ad supplenda Topicorum in cod. B detrimenta conscripta

1) Quaedam Plasberg vir doctissimus litteris me docuit; cui gratias ago maximas.

falso in cod. A inserta sunt; quae tamen omittimus, cum prorsus abhorreant ab usu archetypi codicum ABV, quem investigare propositum est. Qui usus is est, idque gravissimum, ut semper Latinis litteris scribantur verba Graeca in ipsa disputatione. Nam duo illa vocabula in Paradoxorum initio litteris Graecis scripta aliquid fidei addunt horum librorum testimonio: quia in codicibus iuxta Latine scripta adhuc extant etiam litteris Graecis exarata, non suspicamur scripturam quae nunc Latina est a librario quodam ex Graeca transcriptam esse. Graecae autem litterae adhibendae erant Ciceroni in plenis sententiis Graecis quas proponebat; neque hoc Paradoxorum libelli exordium, quod tetigi, adnumerari debet philosophicis dialogis Ciceronis, sed epistula est, qua scriptor libellum Bruto dedicat; atqui in epistulis Ciceronem multa Graeca Graecis litteris scripsisse vidimus.

Codicis archetypi, qui fuit V fere saeculi, usum tenemus; litteris Latinis omnia scripta praebet, nullum scripturae olim Graecae vestigium est. Atque ipsius Ciceronis hunc esse usum suspicamur quin dicam sustinemus. Cuius rei insuper testimonium est, quod nonnulla ex his iam aliquo ante archetypum tempore Latinis litteris scripta fuisse etiamnunc oculis videmus. Nam Lucull. 6, 17 . . . *nihil esset clarius energea* (ἐνεργείᾳ edd.) — *ut Graeci* . . .: *clarius senerge aut* codd. ABV. Tim. 6, 17 *globosum* . . . *quod speroides* (σφαιροειδὲς edd.) *Graeci vocant: spero ides* corr. in *spero idē̦s* B, *spero id.ē.* A, *spero iđē* V[1]). De leg. 2, 26, 64 *bustum, nam id puto appellari tumbon* (τύμβον edd.), *aut columnam*: *tū bona ut* AB, *cum* (corr. in *tum*) *bona ut* H. Ecce ita discerpta his locis verba Graeca omnia, ut Latina sive Latinorum similia evaderent; quod iam in archetypo fuisse docet codicum consensus. Huius igitur rationis

1) Itaque *speroides* prisco more dederatne Cicero? Cf. Lucull. 42, 130 *ἀδιαφορία*: *-poria* AN, *-phoria* B; praeterea ibid. *ἀπάθεια*: *apati* ABN, de nat. deor. 3, 11, 28 *συνπάθειαν*: *sim patiā* B, *synpatiā* V, *sinpathiam* A, Lucull. 29, 93 *ἡσυχάζειν*: *esicazi in* AV, *esycha ziin* B; Lucull. 7, 22 *ἐννοίας*: *ennoeas* (*-aeas* A) ABN, de rep. 2, 33, 58 *cosmoe* palimps. Vat., similia saepius.

qua syllabae distrahuntur auctor, sive is fuit qui archetypum scripsit sive nescio quantum temporis ante eum, in exemplari suo certe iam invenerat haec verba Latinis litteris scripta; nam unica haec fuit istorum errorum causa. Accedit quod *u* pro *y* et *p* pro *ph* ibi scriptum deprehendimus, quod genuini magnam speciem prae se fert.

Ex iis quae diximus satis apparet eos vim affere codicum memoriae qui in Ciceronis libris philosophicis singularia vocabula Graeca Graecis litteris scribunt, velut de div. 1, 54, 122 *divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat* Orelli-Christ, Mueller; de nat. deor. 1, 12, 30 *ut Graeci dicunt ἀσώματον* Orelli-Baiter, Mueller, Plasberg; Tim. 7, 23 *medietates, quas Graeci μεσότητας appellant* Orelli-Baiter, Mueller, Plasberg; de fat. 9, 17 *contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant* Orelli-Christ, Mueller; top. 3, 12 *haec verborum coniugatio συζυγία dicitur* Orelli-Baiter, Mueller; Lucull. 12, 37 *adprobatione, quam Graeci συγκατάθεσιν vocant* Orelli-Halm, Mueller, Plasberg; de leg. 3, 20, 46 *Graeci . . . apud quos νομοφύλακες creabantur* Orelli-Halm (*creantur*), Mueller, Vahlen.[1])

V. Senecae epistulae.

Corporis epistularum Senecae (ed. Hense) nono ut videtur saeculo in duas partes discissi codices hi sunt:
partis prioris (ep. 1—88):

p Paris. 8540 s. X ineuntis
P Paris. 8658 A s. IX—X
b Paris. 8539 s. XI
L Laur. s. IX—X
M Metensis s. XI ineuntis
V Venetus s. IX—X
g Guelferbytanus s. XI,

1) Itaque cavebimus ne sequamur L. Haveti sententiam (Manuel de critique verbale n. 1399) qui censet id quod legitur in codd. de nat. deor. 3, 22, 55 *Opas* ex Graeco *Φθάς* ortum esse. *Phthas* scribendum esse primus Gyraldus dixit; Plasberg autem hoc adnotat: „ego illud reliqui errorem aliquem subesse suspicatus“.

partis alterius (ep. 89—124):

B Bamberg. s. IX

A Argentor. s. IX,

multi praeterea recentiores atque vitiosi.

Sententiae Graecae vel loci ampliores ex scriptoribus Graecis desumpti Graecis plerumque litteris scripti in codicibus leguntur, ut quin ipse Seneca sic scribere consueverit vix dubites, praesertim cum idem in Apotheosi Senecae observetur. Ita in ep. 99 Metrodori verba cum ipso eius libri titulo in optimis alterius epistularum partis codicibus A et B Graecis litteris scripta extant.

Plura de singularibus verbis Graecis sermoni Latino intermixtis dicenda sunt.

9, 2 *In ambiguitatem incidendum est, si exprimere* ἀπάθειαν *uno verbo cito voluerimus et inpatientiam dicere.* Latinis litteris utuntur codices plerique (*i* pro ει). Tamen in cod. L hoc vocabulum per α Graecum scriptum est, et Fickert adnotat codicem quendam r exhibere notas quasdam quae Graece id olim scriptum fuisse testentur. Ambigit Hense de cod. p. Sed alii loci sunt quibus examinatis de hoc quoque maiore cum confidentia iudicabimus.

81, 11 . . . παράδοξα *Graeci vocant,* consentientibus de scriptura Graeca PV.

82, 10 . . . *mortem inter indifferentia ponimus, quae* ἀδιάφορα *Graeci vocant.* Graecas litteras fuisse in archetypo multifariae codicum scripturae docent, quae quamquam paene omnes litteris Latinis exaratae sunt tamen e vocabulo Graecis litteris scripto evaserunt, cum librarii pro ignotis litterarum Graecarum formis Latinas substituerent. *p* pro ϱ (*P*) scripta aliaque multa hoc probant.

87, 39 *paupertas non per possessionem dicitur, sed per detractionem vel . . . orbationem. Graeci* κατὰ στέρησιν *dicunt.* Graeca ista verba in nonnullis codicibus Graecis litteris scripta extant. Iam in archetypo haec vocabula sic scripta fuisse neque librarium Graece doctum Graecas litteras falso substituisse docemur peccatis quae inveniantur in iis codicibus in

quibus nunc litterae Latinae sunt. Nam in codice quodam Guelferbytano s. XIV legitur *tactpuem*, in Argentoratensi s. X *kata ctephein*, id est *KATACTEPHΣIN* (duplex litterae σ forma ut CIL IV, 2494 *COΣIDHVS*, v. supra p. 13) a librario Graecae linguae ignaro litteris minusculis Latinis transcriptum.

87, 40 *Facilius, quod volo, exprimerem, si Latinum verbum esset, quo ἀνhυπαρξία significatur.* In nonnullis libris deterioribus vocabulum Graecum Latinis litteris scriptum extat similibus cum peccatis atque quae supra vidimus; PV autem exhibent *ΑΝΗΥΠΑΡΞΙΑ*, quod quin in archetypo fuerit non potest dubium esse. Similiter

88, 23 . . . *hae artes, quas ἐγκυκλίους Graeci, nostri autem liberales vocant*: sic PV; ceteri codices alii alias formas praebent partim Latinis partim Graecis partim Graecis et Latinis litteris scriptas.

Iam ad alteram partem corporis epistularum pervenimus. Optimae ibi auctoritatis est cod. B, quem omnia de quibus nunc agemus vocabula Graeca Graecis litteris scripta dare testatur Hense (ad 89, 7).

89, 7 *Sapientia est, quam Graeci σοφίαν vocant.*

89, 10 . . . *partem, quam οἰκονομικὴν vocant, administrandae familiaris rei scientiam.* In reliquis quoque codicibus eadem similiave inveniri Fickerto tacente licet credere.

89, 17 *Omnis oratio aut continua est aut inter respondentem et interrogantem discissa. Hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητορικὴν placuit vocari. Ῥητορικὴ verba curat et sensus et ordinem. Διαλεκτικὴ in duas partes* . . . Codices vetustiores fere consentiunt, dummodo leviores corruptelae excipiantur.

92, 6 . . . *quietem adici velis, quam ἀοχλησίαν vocant Graeci.* Graecis litteris BA.

Cum haec verba tanto ubique testium consensu iam in codicum qui nunc supersunt archetypo alphabeto Graeco scripta fuisse certum habeamus, non habemus quod hanc scripturam non ad ipsum scriptorem referamus. Nam loci Graeci pleniores qualis ille Metrodori in ep. 99 certe videntur semper fuisse Graecis litteris scripti: cur in singularibus verbis non genuina sit archetypi memoria?

Quid vero? Non pauca verba quae origine Graeca esse non minus quam ea, de quibus egimus, et exitus et vocales consonantesque Graecorum more coniunctae ostendunt, nonne Latinis litteris scripta in iisdem libris sunt? Sane quidem, atque iam nonnulla huius generis perscrutabimur.

Vocabula iam ante Senecam in linguam Latinam recepta atque usu contrita ne dicam quasi Latina facta Latinis litteris scribi non miramur. Huiusmodi verba sunt *paedagogus*, *athleta*, *colaphus*, *labyrinthum*, *phreneticus*, *theatrum*, *syllaba*, *Siren*, *crypta*, *doryphoros*, *chlamys*, *cothurnus*, *amphora*, *cheragra*, *symphonia*, maximus nominum propriorum numerus, alia multa. Quid Seneca ipse senserit de eiusmodi vocabulis, in ep. 120, 4 demonstrat, ubi, postquam vocabulo *analogian* usus est, tamquam excusationem quaerens *Hoc verbum,* inquit, *cum Latini grammatici civitate donaverint, ego damnandum non puto, puto in civitatem suam redigendum. Utar ergo illo non tantum tamquam recepto, sed tamquam usitato.* Erant igitur Senecae temporibus qui linguam Latinam peregrinis vocabulis purgare cupientes huic verbo civitatem adimere vellent.

Sed Seneca aliquot vocabulis usus est quae ante eum scripta non inveniuntur, ut 21, 4 *megistanas*, 53, 3 *psychrolutam*, 57, 1 *haphe*, 58 *idea*, *idos*, 83, 4 *crisin*, 95, 65 *aetiologian* (?), *ethologian*, *characterismon*, 113, 26 *synlogismum*, 119, 1 *proxenetae*, 87, 38 *sophisma*, 80, 1 *sphaeromachian*. Quorum quamquam pleraque certe nullo modo recepta erant in linguam Latinam, licet nonnulla eorum fuerint in usu hominum doctiorum, tamen in codicibus omnia Latinis litteris scripta sunt. Inde ille error ortus est, quod 45, 10 in vetustioribus codicibus pro *ipse pseudomenon* legimus *ipse eudomenon,* quod nullo modo fieri potuit si archetypus *ipse ψευδόμενον* exhibuisset. Fickert et Haase hoc loco nescio qua de causa litteris Graecis usi sunt, cum Ruhkopf anno iam 1800 huius peccati originem cognoverit et recte *pseudomenon* in editionem suam receperit. Eum Hense secutus est.

Quin etiam vocabula more Graeco flexa atque librorum

inscriptiones Graecae sine ulla mutatione in sermonem Latinum receptae sunt, et ipsae Latinis litteris scriptae:

12, 8 . . . *hoc ad symphoniam caneretur: bebiotae bebiotae.* Sic p, *bebiote bebiote* L.

95, 45 *M. Brutus in eo libro, quem peri cathecontos inscripsit* . . . Sic BA.

Utroque loco optimae fidei codices Graeca litteris Latinis scripta exhibent, et quidem non solum ii, qui ex eodem fonte fluxerunt (BA), quem ipsum depravatum fuisse credas, sed diversae originis, ut ipsius Senecae videatur haec esse scriptura.

Promiscue igitur Senecam characteribus modo Graecis modo Latinis scripsisse verba Graeca videmus. Neque tamen eum sine ulla ratione id fecisse mihi persuadeo dum ea de quibus egimus animo perlustro; immo normam quandam subesse suspicor quamvis non stricte observatam. Hanc dico: vocabula Graeca, sive exuerint iam vestem Graecam sive non exuerint, Latinis litteris scribuntur; si minus, adiecta sunt verba quibus vocabulum illud non Latinum neque pro Latino scriptum, sed Graecum esse praedicatur, quo Seneca idcirco utitur, quia aut vocabulum Latinum ad notionem Graecam exprimendam idoneum deest aut adiecta voce Graeca philosophis notissima Latinam explicare vult scriptor; cf. supra p. 7.

Hac ratione omnia quae adhuc protulimus optime illustrantur; vide 89,7 *Sapientia est, quam Graeci σοφίαν vocant* et reliqua. Nonnulla vero ab hac lege discrepare non ignoro; quae nunc examinabimus simul quaerentes utrum ab ipso Seneca ea oriri an a librariis pessumdata esse iudicemus.

90, 9 *felix illud saeculum ante architectos fuit, ante tectores.* In omnibus codicibus vetustioribus illud *architectos* Graecis litteris scriptum extat, quamquam neque adiectum a Seneca est quidquam quo hoc vocabulum Graecum esse praedicetur et ipsa haec vox iam Ciceroni usitata fuit. Accedit quod omnes codices (ut leviores orthographiae discrepantias omittamus) *αρχιτεκτος* sic scriptum exhibent, quem verbi exitum ad similitudinem nominum Latinorum decl. II in *-os* cadentium a scriba indocto formatum esse apparet, cum, doctrinam ali-

quam ostendere gestiens, verbum Latine scriptum Graecis litteris exararet. Cf. supra p. 15 *αὐρικαεσωρίβους*, p. 19 *MωPωC*.

Plura autem sunt vocabula quae, cum Graeca scriptura expectanda esse videatur, Latinis litteris exarata leguntur:

33, 7 . . . *quas Graeci chrias vocant*: sic codd. omnes. Credamusne Senecam ipsum Graece scripsisse hoc vocabulum, librarios autem receptissimam vocem *chrias* Latine reddidisse?

111, 1 *Quid vocentur Latine sophismata, quaesisti a me. Multi temptaverunt illis nomen inponere, nullum haesit.* Negat scriptor se hanc vocem Graecam interpretaturum esse, cum quia deerat vocabulum Latinum quod Graeci notionem bene exprimeret (ut 9, 2 *ἀπάθειαν*), tum quia ipsi hoc nomen satis placebat, ut id in linguam Latinam recipere non dubitaret, quod nescio an illi puri sermonis amatores postulaverint. Ceterum 87, 38 idem verbum Latinis litteris scribitur; itaque iam aliquatenus consuetudini Romanorum accommodatum erat. Item

45, 8 *Idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potius sophismata appellem?*

95, 10 . . . *sine decretis suis est, quae Graeci vocant dogmata.* Hic quoque codices de litterarum Latinarum usu consentiunt. Haec tamen vox iam apud Ciceronem saepe Latinis litteris scripta legitur.

58, 2 *Hunc quem Graeci oestron vocant* . . . Sequitur locus Vergilianus (georg. 3, 147 sq.) . . . *nomen asilo Romanum est, oestrum Grai vertere vocantes*, unde Seneca sumpsit scripturam Latinam.

58, 7 *Τὸ ὄν*: *TO ON* codd. (*to on* V), quod utrum litteris Graecis an Latinis scriptum accipere velis nihil interest.

58, 6 *Quomodo dicetur οὐσία, res necessaria* . . . Graecae litterae non in omnibus codicibus sunt: *OYCIA* L, *usia* V, *Via* p. Tamen scriptura Graeca videtur genuina esse.

95, 1 . . . *haec pars philosophiae, quam Graeci paraeneticen vocant, nos praeceptivam dicimus* . . .

Sed haec quae ab illa quam vidimus ratione aliena sunt probant consuetudinem potius eam fuisse quam legem inviolabilem; neque tamen quin valuerit illa consuetudo dubitari potest.

VI. Lactanti opera.

Codices Lactantiani sunt hi (editione a Brandtio et Laubmanno curata utor):

B Bonon. s. VI vel VII, propter vetustatem omnium codicum longe optimus. Etiam „in rebus orthographicis“ (Brandti haec verba sunt) „codex saepe antiquiorem rationem, qua sine dubio Lactantius ipse usus est, servavit: quare in genere orthographico ubicumque fieri posset codicis B potissimum auctoritatem me sequi par erat.“ Sed de hac re ipsi iudicabimus.

G Sangallensis rescriptus, Bononiensi simillimus, qui magnam Divinarum institutionum partem s. VI vel VII scriptam continet.

R Paris. Regius s. IX.

H Palatino-Vaticanus s. X, ad constituendum textum non magnae fidei, in re orthographica alicuius momenti. Simillimus ei est

M Montepess. s. X.

Minoris fidei sunt

P Paris. s. IX, et

V Valentianensis s. X vel XI.

S Paris. s. XII—XV quamquam aetate ceteris codicibus cedit, tamen Lactanti verborum probabilior testis est quam HM, ex quorum communi fonte ille fluxit in div. inst. lib. I—III. Ceterum solus stat S, item P in div. inst. lib. II—V et VII; H cum M, P cum V artius coniunctus est.

Et ipse Divinarum institutionum epitomae cod. Taurinensis T vetustate excellit, est enim saeculi VII, atque Bononiensi similis est.

Primum de sententiis Graecis et locis amplioribus ex libris Graecis allatis videamus. Plurima sunt ex Sibyllae Erythraeae oraculis sumpta; sed etiam Homeri (div. inst. 4, 7, 7) et Hesiodi (2, 14, 7) versus inveniuntur, praeterea loci oratione soluta scripti ut 7, 23, 3 Chrysippi, 7, 18, 4 ex libro *qui λόγος τέλειος inscribitur.* Haec quin a Lactantio ipso Graecis litteris scripta sint consentientibus codicibus dubitari non potest.

Graeci hi loci per magnam codicis B partem non atramento sed rubro scripti extant, scilicet ut primo aspectu eos a ceteris quae Latina sunt discernas et cognoscas quantam scriba in pictura adhibuerit curam. Neque enim dubium est quin ille rubricator non bene Graece doctus, ne dicam huius linguae plane ignarus fuerit. Vir enim vere doctus talia quae innumerabilia etiam in cod. B inveniuntur ut div. inst. 4, 6, 5 *OETIO* pro ὅστις, 7, 20, 2 *OΠTIOTE* pro ὁπότε, quae peccata ex oculorum errore oriuntur, neque ipse scribere neque, si iam in exemplo ex quo describebat corrupta erant, tolerare potuit. Contra litterarum Graecarum non plane expertem fuisse scribam sive ipsius codicis B sive eius exempli ea vitia quae ex audiendi errore orta sunt testantur, ut ε pro η, ο pro ω, ε pro αι admissa: hic scribam aures fefellerunt. Adde quod 1, 6, 15 est *HΛION* pro ἠέλιόν: librarium cui hoc debetur scripturam Graecam non ignorasse patet; nam quivis scriba neglegentior certe scripturam *HEΛION* praetulisset quippe cum scriptura Latina *HELION* bene coeuntem. Quam stupidi autem alioquin librarii fuerint apparet ex div. inst. 4, 7, 5 *eum* (i. e. Christum) *inmutata littera Chrestum solent dicere*; ubi, cum Lactantius nominis duas formas *Christus* et *Chrestus* solam ob vocalium *i* et *e* differentiam afferat, cod. B exhibet $\overline{\chi\varrho m}$, i. e. *Christum* omissa vocali.

Reliqui quoque codices litteris Graecis scriptos praebent pleniores locos Graecos exceptis HM. Hi enim (H incipit 1, 6, 5) usque ad 1, 6, 17 Graecis litteris utuntur, inde ad 2, 16, 1 Latinis; a 4, 6, 4 ad 4, 7, 3 Graecis rursus uti placuit, a 4, 7, 7 ad 4, 13, 21 Latinis; a 4, 15, 9 ad 4, 20, 11 desunt in H Graeca simul cum verbis Latinis quae antecedunt: inertia atque timore litterarum et linguae sibi ignotarum huius partis scriba (a compluribus confectum est exemplum ex quo fluxerunt HM) ea omisit, simul verba proxima Latina, ne quid excidisse sentires. Inde usque ad libri VII finem litteris Latinis cod. H dat Graeca, interdum (ut 7, 24, 13) magna cum diligentia transcripta. Sed varie et sine sensu saepe litterae coniunctae sunt.

Mirum hunc scribendi usum qui in HM apparet ad ipsum Lactantium referendum esse per se minime veri simile est. Immo scripturam Graecam genuinam esse certa argumenta praesto sunt. 7, 24, 14 versus Graecus est:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τάδ᾽ οἴσει	edd.
ΕΥΣΕΒΕΩΝΔΕΜΟΝΩΝΑΓΙΑΧΘΩΝΠΑΝΤΑΤΑΔΟΙΣΕΙ	codd.
eusebeondemononapantonpantacadoesi	H.

Lactantium Latinis litteris usum esse ponamus: testibus reliquis codicibus et ipsa sententia *agia cthon* eum scripsisse oportet. Ex quo quidem nullo modo evadere potuit *apanton*. Multo facilius hoc fieri potuit ex Graeco; *ΓΙ* pro *Π* accepisse librarium (id quod saepissime factum est), *Χ* pro *Λ*, *Θ* pro *Τ* (quod et ipsum minime rarum est; fortasse autem *Τ* pro *Θ* erat iam in exemplo ex quo describebat codicis H librarius) necesse est, ut *apanton* evaderet; quod eo facilius fieri potuit, quod sequitur verbum *πάντα*.

Item *cad* pro *τάδ᾽* scriptum explicatur. Saepissime *Τ* pro *Γ*, *Γ* pro *Τ* scribitur et legitur; *γ* Graecum autem cod. H interdum littera *c* reddit (in proximo versu *μελισταγέης*: *melistacees* H): sic ex *Τ* Graeco duplici errore *c* Latina facta est.

Nonnulla addo per se perspicua:

2, 12, 19 *ΑΛΗΘΙΝΟΝ*: *aleoim* H.

7, 16, 13 *ΕCΤΑΙ*: *ecthy* H.

7, 20, 2 *ΛΙCΙΜΟΝ*: *dismon* H.

Perspicua etiam haec sunt quae sequuntur:

1, 15, 15 *ἐπ᾽ ἀνδράσιν*: *eram drasin* H.

7, 18, 4 *κακίαν*: *sasian* H.

7, 18, 8 *Ὅς ῥά κε*: *Opraese* H.

Iam pridem autem in HM (eorum fontem et totam stirpem dico) hanc scripturam Latinam pro Graeca substitutam esse docent alia. Est enim e. g. 7, 13, 6 pro *εἴκει* in cod. H *eci*. Litteram *c* etiam tum sonum vere gutturalem habuisse suspiceris; et recte quidem, si ad sonum solum transcripsisset librarius; sed hoc non semper factum est. Nam *c* Latinam ante consonantes et *a o u* vocales idem valere atque *κ* Graecum

ideoque pro hoc scribendam esse scriba cum notum haberet, eo pervenit ut etiam *i* insequente pro *κ* *c* scriberet sonum iam nihil curans. Ex hac igitur re de litterae *c* appellatione, quae tum erat, atque de tempore nihil concludi potest. Potest autem, si *c* ante *e i y ae eu oe* pro *γ* substitutam invenimus ut 7, 24, 14 μελισταγέης: *melistacees* H. Hoc peccatum ex audiendi errore ortum esse certum habemus, neque accidere potuit nisi propter litterarum *γ g* et *c* soni similitudinem: scriptum igitur est tum, cum *c* etiam ante *e* vocalem sonum gutturalem habebat.

A 4, 6, 4 ad 4, 7, 3 etiam cod. H Graecis litteris scriptos exhibet locos Graecos. 4, 6, 4 est locus satis longus ex *eo libro qui λόγος τέλειος inscribitur* sumptus, cuius tertiam fere partem codicis H manus prima exhibet; tum in margine infimo *TOUC UCEIΛΑΥΤΟΩCOCEΘΛIΛ* . . . *et cetera*, omissis ceteris Graecis quia longiora erant; ea autem quae scripsit prave corrupta sunt atque, ut videtur, descripta ex libro in quo et ipso non multo minus corrupta erant; omni enim sensu illa carent. Etiam 4, 7, 3 alteram partem loci Graeci omittit H praebetque . . . *ΚΥΡΙΟΠΛΑΝΤΩΝ et cetr̃;*.

Aliquot peccata libris HMS communia docent codicis S libros I—III ex eodem fonte atque HM fluxisse, quem Graeca (singularia verba Graeca sermoni interposita nunc omittimus) Graecis litteris scripta habuisse apparet: iam pridem igitur HM stirpem ab ea cuius S membrum est videmus separatam esse. Inde a libro IV incipit codicis S quaedam similitudo cum P; nonnulla quae in cod. S cum aliis libris communia sunt fortasse a librario aut a lectoribus ex illis inserta vel mutata sunt. Praecipue cadit hoc in interpretationes Latinas quae additae sunt in lib. I—IV cum P, in lib. VII cum B plerumque communes. 1, 7, 9 interpretationes in S et P diversae sunt, 1, 7, 10 iam similes: aliud fortasse Divinarum institutionum exemplar librario legentive cuidam praesto erat, cuius lectionem ut faciliorem praetulit aut in margine addidit, unde facile potuit genuina verba loco depellere. Graece

doctus (talis enim interpretationes addidisse videtur) etiam is fuit, qui 4, 15, 15 *βλέψουσι* mutavit in *ἀναβλέψουσι*. Saepe accentus et spiritus notae adduntur, quamquam non semper recte. Ceterum peccata illa scribarum nihil cogitantium non absunt: 4, 15, 18 *ΠΛΗΡΩCΕΙ*: *ΠΛΑΝΡΩCΕΙ* S, alia; sed non tam crebra sunt quam in BHM.

Neque codex R caruit lectore vel correctore paulo doctiore; 1, 7, 9 enim pro *φαεσφόρε* est *φοεσφόρε*: qui hoc scripsit, illud verbum ad usitatam formam *φωσφόρε* assimilare voluit. 1, 13, 11 manus recentior, Graeca cum omissa essent, verborum desideratorum interpretationem Latinam in margine addidit.

Iam vero his absolutis de singularibus vocabulis Graecis orationi insertis dicemus. Primum quae Graecis litteris scribantur apponam:

1, 5, 4 *Orpheus . . . deum verum et magnum πρωτόγονον appellat.* Sic (orthographiae minutias omitto) codices omnes (*UPOTOTONON* M).

Ibidem *Eundem etiam Φάνητα nominat. phanetã* M.

1, 6, 4 *ne quis nomen eius requireret, ἀνώνυμον esse dixit. Anonymen* M. Statim sequitur locus Graecus ex quo *ἀνώνυμον* illud sumptum est.

1, 6, 7 *Σιούς enim deos, non θεούς, et consilium non βουλήν, sed βούλλαν appellabant Aeolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse quasi θεοβούλην. σιούς* Graecis litteris codd. omnes (*sic* HM), *θεούς* et *βουλήν* Graece RPV, Latine SHM, *βούλλαν* (de hac forma non constat, sed a Wachsmuthio coniectura inventa est; Graeca tamen similia praebent) RPV (*boyaian* i. e. *ΒΟΥΛΙΑΝ* R), *θεοβούλην* Graecis litteris R. Minimam codicum esse constantiam videmus. Vocabulum *σιούς*, ut formam dialecticam satis raram atque ignotam, Graecas quae fuerint in codice archetypo litteras conservasse credideris; sed scribae illi an melius noverint reliqua verba, in primis *θεοβούλην*, dubitamus; certe simplicia illa *θεούς* et *βουλήν* non minus nota erant: haec tamen Graecis litteris

scripta sunt in codicibus PV, illud Latinis. Atqui Lactantium haec verba partim Graeco, partim Latino alphabeto scripsisse veri simile non est. Utrum igitur omnia Graeca an Latina scriptura eum dedisse suspicemur? Omnia Graecis litteris scripta exhibet R, omnia Latinis codex nullus; tum codd. HM, quippe qui omnia fere Latinis litteris exarata praebeant licet Graecis scribenda sint, S propter aetatem non magni momenti sunt; deinde illud *non* a PV ad *θεούς* et *βουλήν* tractum (*NONΘΕΟΥC*, *NONΒΟΥΛΗΝ*) iam tum, cum etiam Latina litteris maiusculis scribebantur, in horum librorum stirpe haec verba Graeco alphabeto scripta fuisse probat: Graecam igitur hoc loco scripturam genuinam esse suspicamur. Unde tamen scriptura *theobulen* (*-bolen* M) extiterit, non liquet, nisi forte aliquid valuit Horati memoria, apud quem est *Neobule* carm. 3, 12, 5. Hanc libri primi partem codicem B omisisse valde dolemus. Ceterum nomen *bule* plus semel est apud Plinium (ep. 10, 81, 1, saepius), Latinis litteris scriptum, et in saec. II titulo CIL III, 7123: *bule et civitas Efesiorum.*

1, 7, 13 *ab Apolline αὐτοφυής, a Sibylla αὐτογενής et ἀγένητος et ἀποίητος nominatur. autosphoes . . . autogeneses . . . αγενητος . . . apo(e)tetheos* HM, quos tria illa vocabula Latinis litteris scripsisse minus mirum est quam unum Graecis. Genuina scriptura non dubia est.

1, 11, 16 *furtimque nutritus Ζεύς sive Ζήν appellatus est. zeus* sive *zen* HS (M, nisi ab H discrepat, iam non adnotabitur).

1, 11, 46 *inscriptum antiquis litteris Graecis ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ id est Latine Iuppiter Saturni.* Hic ipse Lactantius Graecis litteris haec scribenda esse dixit, quia quasi exemplum illius inscriptionis proponendum erat; neque in ullo codice scriptura Graeca mutata est.

1, 17, 13 *idque illi nomen inpositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός id est ex certamine atque humo.* Sic codd. omnes; H omisit Graeca.

1, 21, 36 *ara . . . quam de facto βούζυγον nominavit. bozocon* H, codices reliqui Graecis litteris. Item

1, 22, 19 *Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς ait . . .*

2, 1, 16 *Hinc utique ἄνθρωπον Graeci appellaverunt.* In ipso codice H vestigia veteris scripturae Graecae sunt, habet enim *ANTropon*, in prima syllaba maiusculas litteras, ut in Graeco, conservans.

2, 14, 6 *Daemonas autem grammatici dictos aiunt quasi δαήμονας, id est peritos . . .* Latinis litteris HP (*dammonas* H ex Graeco; saepe enim *H* pro *M* accipitur).

2, 15, 8 *Trismegistus ἀγγέλους πονηρούς appellat*: om. B[1], interpretationem Latinam add. B[3]; Latinis litteris H, Graecis cum interpretatione Latina PV.

3, 13, 4 *pars illa philosophiae tertia quam vocant λογικήν*: om. H[1], Graecis litteris scriptum add. H[2].

4, 6, 4 *in eo libro qui λόγος τέλειος inscribitur.* Latinis litteris H, interpretationem Latinam omissis verbis Graecis add. P.

4, 6, 9 *Idcirco illum Trismegistus δημιουργὸν τοῦ θεοῦ et Sibylla σύμβουλον appellat.* Litteris Graecis codd. omnes, etiam H.

4, 7, 7 *Graeci veteres χρίεσθαι dicebant ungui, quod nunc ἀλείφεσθαι.* χρίεσθαι spatio relicto om. R, *alifeste* H.

Ibidem *in . . . Graecis scripturis . . . ἠλειμμένος scriptum invenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι.* Latinis litteris HS (S cum interpr. Lat.).

4, 8, 5 *Hermes . . . dicit eum αὐτοπάτορα et αὐτομήτορα.* Litteris Latinis H.

4, 13, 2 *ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ a Trismegisto verissime nominatur.* Litteris Latinis H.

4, 26, 40 *pascha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν.* Graeca omiserunt, scilicet quia litteris Graecis scripta erant, BG; scripturam Latinam praebet H.

5, 3, 22 *ausus est libros suos . . . φιλαληθεῖς adnotare.* In cod. H Graecum illud verbum add. m. 2.

5, 13, 21 *quos Sibylla Erythraea κωφοὺς et ἀνοήτους vocat.* Litteris Latinis H.

6, 2, 6 *a poetis φῶτες nuncupamur.* Litteris Latinis H.

7, 9, 11 *quam spectationem Trismegistus θεοπτίαν rectissime nominavit.* Recte sic correxit Fritzschius ea quae sunt in codicibus: *ΟΠΙδΑ* in ras. B, *ΘΕΟΠΙdα* R, *ΘΕΩΠΙΛΑ* (*ΘΗ-* P) HSP.

7, 25, 7 *cum caput illut orbis occiderit et ῥύμη esse coeperit.* Sic codd. omnes BHSP (*ΕΙΡΥΜΗ* P, *et* illud quod antecedit ad Graeca trahens).

Epitome 13, 4 *scriptum antiquis litteris Graecis ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ, quod est Iuppiter Saturni.* Solus adest cod. T.

19, 2 *Didymus in iis libris qui inscribuntur ἐξηγήσεως πινδαρικῆς.*

20, 9 *idcirco enim ἄνθρωπος, quia sursum spectet, nominatur.*

24, 6 *Chrysippus . . . in libro περὶ προνοίας quarto.*

De opif. dei 8, 8 *vocem ipsam Graeci αὐδήν vocant ab auditu.* Sic codd. BV.

Satis multos locos videmus esse ubi vocabula Graeca scriptura Graeca reddere codicibus suadentibus necesse sit. Non minore autem cum iure aliis locis postulandum est ut Latinis litteris scribantur, atque miramur non raro Brandtium hanc rem liberius tractasse, cum in genere orthographico ubicumque fieri posset codicis B potissimum auctoritatem se secuturum esse praefatus sit; nam multo magis quam solius codicis B auctoritatem codicum omnium vel plerorumque consensum sequendum fuit. Num igitur in adhibendis characteribus Graecis, in qua re admirabilem in modum variat et fluctuat codicis archetypi usus, codicum testimonia tanta socordia neglegere par fuit? Sed ad singula adeamus.

Div. inst. 1, 6, 3 *Hunc Aegyptii Thoyth appellant.* Similibus verbis Lactantius neque aliter Cicero atque Seneca saepe vocabula Graeca inferunt, e. g. 2, 1, 16 *Hinc utique ἄνθρωπον Graeci appellaverunt*; librarius igitur, cum opus litteris maiusculis exaratum minusculis describeret, in Graecis tamen maiusculas conservaret, nomen *Thoyth* facile pro Graeco habere

atque in vetere scriptura Latina maiuscula relinquere potuit. Itaque cod. R quidem exhibet *Thoyth*, sed *THOYTN* S; inde *ΘEOYCEN* M, *IIHOYTOH* (*factorem* P, *IIHOYTH* V.

1, 21, 31 *non eufemia ut Graeci appellant, sed maledictis et execratione celebrantur.* Sic codd., εὐφημίᾳ Brandt.

1, 21, 39 *unde a poetis aegiochus nominatur.* αἰγίοχος Brandt. Omisit vocabulum *aegiochus* B.

2, 10, 4 *Plato humanam formam theoiden esse ait.* θεοειδῆ Brandt; Graeca tamen scriptura non est nisi in cod. R.

2, 14, 6 *Unde illum Trismegistus daemoniarchen vocat.* Sic codicibus postulantibus (etiam Epit. 24, 1) Brandt; δαιμονιάρχην editores reliqui.

3, 6, 10 *genus philosophiae asystatum, quod Latine instabile vel inconstans possumus dicere.* Sic cum codd. omnibus primus Brandt.

3, 6, 13 *asystati generis exemplum*; ita ceteri quoque editores.

3, 13, 4 *pars illa philosophiae tertia quam vocant* λογικήν, et

3, 13, 6 *neque physica illa ratio necessaria est neque haec logica*: postulantibus codicibus utrumque; neque id mirum est, nam priore illo loco Lactantius ut peregrinum inducit vocabulum λογικήν, altero utitur eo tamquam iam noto. Itaque etiam epit. 30, 6 cum Brandtio litteris Latinis *logica* scripserim quamvis repugnante codice T.

4, 11, 6 *Helias in libro Basilion tertio.* Litteris Latinis ut apud Tertullianum et Cyprianum. V pro *Basilion* : *regnorum*.

4, 13, 2 ἀπάτωρ *atque* ἀμήτωρ *a Trismegisto verissime nominatur* (solus H Latinis litteris): sic incipit hic locus; deinde vero pergit *ut et ipse fieret apator atque ametor* (sic BHSPV, Graecis litteris cum R Brandt) et *In prima enim nativitate spiritali ametor fuit* (sic codd., Graecis litteris Brandt) et *in secunda vero carnali apator fuit* (sic codd., Graecis litteris Brandt). Vides eandem rem hic esse atque supra 3, 13, 4—6; nam vocabula Graeca, ubi primum inferuntur, litteris Graecis scribuntur, ubi repetuntur, utpote nota Latinis.

4, 25, 5 *illum Graeci mesiten vocant.* Consentiunt codd.; *μεσίτην* Brandt.

Epit. 63, 2 *atheus ille Theodorus.* Sic codd. TB; litteris Latinis et ipse Cicero de nat. deor. 1, 23, 63.

Restant, de quorum scriptura, Latina an Graeca in archetypo fuerit, observata codicum memoria satis certe iudicari non potest:

Div. inst. 1, 7, 2 *non modo ἀμήτορα ut Apollo, sed ἀπάτορα quoque appellat deum.* *ametora* BSHM, *αμητορα* RPV, *apatora* BHM, *απατορα* RPVS. In quibus HM, cum saepissime Graeca Latinis litteris scripta praebeant, parvi momenti sunt; num contra RPV(S) codicis B auctoritati fidem habere liceat, dubito. Cf. p. 56. Sed apud Tertullianum (adv. omn. haer., in fine) Latinis litteris scripta sunt haec verba.

1, 21, 28 *cum de duabus Cancri stellis locuntur quas Graeci ὄνους vocant, asellos fuisse.* Sic RSPV (*ONOIC* P), *onus* B, *onos* H.

2, 15, 6 *Quid sit autem εὐσέβεια, ostendit alio loco.* Antecedit et sequitur locus Graecus quo de *εὐσεβείᾳ* quid sit et cui bono sit agitur. Litteris Latinis utuntur BH, Graecis codd. reliqui, in quos tamen scripturam Graecam ex locis Graecis irrepsisse credere possis. Certe neque codicis B vetustas neque reliquorum codicum numerus atque (excepto H) consensus contemnenda sunt.

4, 9, 1 *Sed melius Graeci λόγον dicunt quam nos verbum sive sermonem: λόγος enim et sermonem significat et rationem,* et paulo post *Zenon . . . opificem universitatis λόγον praedicat.* Primum litteris Graecis RPV, Latinis BSH, alterum et tertium Latinis BH. Quid praeferendum sit dubitamus; certe ratio illa, quam adhibitam esse vidimus 3, 13, 4—6 et 4, 13, 2 (cf. p. 56), hic locum non habet.

7, 18, 3 *In eo . . . libro qui λόγος τέλειος inscribitur.* Sic editores coll. 4, 6, 4. In codicibus *λόγος* deest; ceterum exhibent: *ΤΕΛΙΟC* B, *teΛΕΙΟC* H, *ΤΕΛΟΓΟC telius* S, *telios* P. De scriptura autem verbi *τέλειος* iudicare non ausim, prae-

sertim cum cod. H, qui scripturam Latinam anteferre solet, hic Graecam, P, qui Graecam, hoc loco Latinam habeat.

De opif. dei 17, 2 *quod Graece ventus ἄνεμος dicitur.* Codices, qui tres adsunt, habent: *anemos* B, *aneMOC* P, *anemoc* V; codicum igitur PV communis fons *ANEMOC*. Nihil certi constitui potest.

De ira dei 23, 9 *qui deum putant ἀόργητον.* Sic coni. Halm. *APTHOM* B[1] (in marg.: *sine iracundia* m. 3), *sine ira* P. Graecum vocabulum falso addidit B div. inst. 4, 8, 5 *αρσενιοθηλυν*; sed hoc loco tam corruptum est, ut satis magna vetustas ei videatur tribuenda esse.

Apud Lactantium igitur ut apud Senecam vocabula Graeca mox Graecis mox Latinis litteris exarata videmus; exceptis autem paucis locis non conspicitur ulla regula ad quam ille scribendi usus dirigatur, neque ipse cod. B in hac re sibi constat.

VII. Corpus glossariorum Latinorum.

Glossaria atque hermeneumata Latino-Graeca et Graeco-Latina quae Corporis glossariorum Latinorum voluminibus II et III continentur in scholarum usum conscripta sunt; certe igitur ibi Graecis litteris antiquitus exarata fuerunt verba Graeca. Vera tamen haec sine dubio scriptura cum non ubique hodie compareat, sed glossariorum et Latino-Graecorum et Graeco-Latinorum, quae in variis codicibus variae aetatis inveniuntur, altera Graecis litteris, altera Latinis scripta exhibeant verba Graeca, operae pretium esse videtur in hanc rem accuratius inquirere; multa enim invenientur digna memoratu.

Philoxeni quod dicitur glossarium extat in cod. Par. 7651 s. XI, in quo litteris uncialibus Graecis exarata sunt Graeca. Post ipsum glossarium additur in illo codice mirum quoddam glossariolum (C. Gloss. Lat. II p. XI sqq.), quod verba et Graeca et Latina tum breviter tum uberius explicat, ut *AFESIS. Remissio. AMARTIS. Peccatum . . . PHILVMINA. Amabilis . . . ABROTONON. Amplexabilis. FACETVS. Dissertus et eloquens*

cum ioco. PATRONVS. Qui clientem habet. id est qui alicui externo patris affectum impendit . . . PALESTITA. Qui palam stat. id est luctator. quod grece agonitheta. id est certator vocatur. quia agon. certamen. thesis. positio. agonitheta. certaminis positor . . . POLICLETVS. Multa fingens ex aere vel marmore et gemmis. poli enim grece. multum. cleton. fingere dicitur, talia multa. Itaque hic quidem Latinis litteris scribuntur Graeca perinde atque Latina et in lemmatis et in explanationibus neque ulla comparent vestigia scripturae vocabulorum Graecorum olim Graecae; scriptum enim est pro φ: *ph* aut *f*; pro χ: *ch* (numquam *x*); pro ϰ: saepe *c*, interdum *k*: *RINOCEROS* (*C* ex *K*), *Keros, PORKION, GLIKERION*; aspiratio initio verborum et post *r* omissa: *AMARTIS, RINOCEROS, YPPODROMVS, omologo, yppos*; terminatio nunc Latina nunc Graeca: *PARANIMPHVS, OECONOMOS.*

Inter quae tamen, post *ZONA.Cingulum*, ante *POLICLETVS* haec leguntur: *EΠIZONION. Praecinctorium quasi supercingulum. ΓEΠTIZONION. Septem zonae. dictum latine septizonium. domus caenaculorum septem. CTOΦIOC. Zona pellicia KEPACTEC. Cornuta genus serpentis ΠΛΑΤΟ. Nomen philosophi. dictus plato est a latitudine scapularum. KAPΔIAKA. Pulsus cordis. cardia enim. cor vocatur. ΠEΔΑΓΟΓOC. instructor et institutor puerorum. APKIMANΔPITA. Princeps baiulorum et nutritiorum. sive princeps virorum. Andros enim. vir est.* Haec speciem habent verborum ex litteris Latinis in Graecas male transcriptorum ab homine cui alphabetum Graecum potius notum erat quam verborum formae Graecae; nam graviora in sonis reddendis peccata desunt (ε pro ι, ο pro ω, ϰ pro χ saepe etiam in scriptura Graeca inveniuntur), formas autem quales sunt *ΠΛΑΤΟ, APKIMANΔPITA* quem scriptorem sive excerptorem sic Graecis litteris scripsisse putemus? Nisi quis mavult credere verborum inde ab origine litteris Graecis scriptorum terminationes eum in Latinas commutasse relicta scriptura Graeca: quod tamen veri simile non est. Ab initio adfuisse has glossas Graece scriptas non plane negaverim;

nam vocem *ZONA* sequuntur ab ea derivatae sic ut vocem *AMARTIS* ab ea derivatae *AMARTION* . . . *AMARTILOS*, et verba Graeca in explicationibus posita non aliter atque in reliquis huius glossarioli partibus Latine scripta sunt. Cur tamen quisquam haec quidem mutaverit, ea autem quae antecedunt et sequuntur Latinis litteris scripta reliquerit? Potius igitur sumemus hunc locum post vocabulum *ZONA* ex alio quodam libro insertum esse, in quo et ipso Graeca haec scriptura pro Latina falso substituta erat.

Iam ipsa glossaria adeamus. Atque primum in iis, ubi nunc litteris Graecis scripta extant Graeca, inveniuntur non pauci in scribendo errores, qui tamen paene confirmant genuinam hanc Graecam scripturam esse, cum appareat ex duplicis litterarum generis usu eos natos esse. Duo huius generis peccata quae sunt in Philoxeni glossario (cod. Par. s. XI, qui litteris minusculis Latina, Graeca uncialibus scripta praebet) cognovit Scaliger: C. Gl. L. II p. 30, 33 *Bis dic bissum ακαι ϱεον* et II 31, 1 *Bosbuc βοτεγεϱοι · ωσοι · γαλλοι*; illud fuit *Bis δίς. Bissum ἀκέϱαιον*, hoc *Bos βοῦς. Boi ἑτεϱοίως οἱ Γάλλοι.* Scripserat enim aliquis *DIC* pro *ΔIC*, *BVC* pro *BOYC*. Itaque singulares litterae Latinae duobus his exemplis in verba Graecis litteris scripta invaserunt. Sed plura hoc genus exempla praesto sunt. In Glossis Laudunensibus (cod. Laud. s. IX):

II 557, 13 *Μεγαλοπϱεϱια. magnificentia* (*P* pro *Π*).

In Colloquio Harleiano (cod. Harl. s. X):

III 108, 8 *cεϱδοc εcτιν lucrum est* (*C* pro *K*).

III 108, 40 *gϱαφε scribe.*

In Hermeneumatis Vaticanis (cod. Vat. s. X):

III 427, 23 *καταφorov proclivum.*

Etiam in Latinis similia vitia inveniuntur:

in Glossario Philoxeni:

II 30, 30 *Biseps δικεφαλος*,

in Glossis Laudunensibus:

II 554, 44 *Αποτηcδυcεωc apossidente*,

in Fragmento Coloniensi:

II 562, 9 *Παρεκτεθεντα posthabita postrosita postposita*: ubi litterae *C* et *P* Latinae a librariis pro Graecis acceptae atque Latinis *S* et *R* redditae sunt.

Sequuntur ea glossaria in quibus litteris Latinis scribuntur Graeca. In Graeco-Latinis saepe secundum alphabeti Graeci ordinem dispositae sunt glossae quamvis repugnantibus litteris Latinis; unde iam suspicamur originem Graecam. Increscit suspicio singula aspicienti. Ut exemplum afferam, sic instituit rem auctor glossarii illius quod est in Hermeneumatis Monacensibus (cod. Mon. s. XII) III 122—166 sive is qui ibi introduxit scripturam Latinam, si quondam Graeca fuerat: vocabula quae Graece a littera *γ* incipiunt per *g* scripsit et post ea quae ex *b* incipiunt collocavit. Item in littera *η* retinuit ordinem Graecum: antecedit *z*, sequitur *th*; ita tamen scribuntur ea verba quae afferuntur, ut *η* recte exprimatur littera *i* (interdum *y*) Latina, adiecta autem *h* i. e. Graeca littera *H*, sive adsit sive non adsit vera aspiratio: *hilthen venit*, *hitthitin victus sum* (bis *hi* pro *η*), *himera dies*, *hydipathia libido*, *hira iuno*. *hy-* tamen scribi non solet nisi in iis verbis quae habent spiritum asperum. Semel omittitur post litteram *h* vocalis *i* vel *y*: 144, 36 *hlios idest sol*, errore aperto; cf. III 83, 71 et 85, 1. Pro *ϑ* est *th*, raro *t*, pro *ϰ* est *c* (adsunt etiam verba quae a *ch* = *χ* incipiunt, ut 147, 30 *chryson aurum*. Cf. quod etiam Graece pro *χ* saepe *ϰ* scribitur: III 283, 19. 33. 34). Litteram *c* sequitur *o* (= *o*; adsunt ibi etiam vocabula quae incipiunt ab *ov*: *ucida nescio, odemia sunthici nullo pacto; unices ungues*), tum deinceps *p r* (numquam addita *h*) *s t y f ch* (164, 29 iterum extat *chrison aurum*, quod iam fuerat 147, 30 sub litt. *c*), *ps o* (*ω*).

Non minus produnt vocabula Graeca antiquitus Graecis litteris scripta fuisse cum *ay* pro *au*, *ey* pro *eu*, *oy oi* pro *u*, *gk gc* pro *nc* scripta, similia plura, tum plurimae illae litterae Graecae passim per Latinas sparsae:

Glossae Servii Grammatici (cod. Harlei. s. XII):
II 507, 2 *Ars . texni . artis*
32 *Fel . xole . fellis*
509, 28 *Culter . maxera* (cf. tamen 511, 25 *Gladius . machera*)
508, 7 *Nex anerecis . necis*
36 *Sus . ic . suis*
534, 10 *anus grays*
48 *Gaza pluitos*
535, 36 *ditis ploysios.*

Hermeneumata Amploniana (cod. Ampl. s. IX):
III 72, 5 *arxete incipit*
81, 13 *sinnegcamen contolimus*
16 *anagcea . . . necessaria*
82, 60 *zeys . . . iovis* (sic saepe)
83, 25 *moysae camene*
34 *perioyranu de caelo*
71 *hmera eorte dies festus*
72 *eyche votum*
75 *dioynicia liberalia*
84, 1 *time syggenicę cara cognatio*
85, 1 *nhepiotes infantia*
93, 31 *peri xhriseon deaureis.*

Hermeneumata Monacensia (cod. Mon. s. XII):
III 119, 8 *eytichos feliciter*
119, 18 *kai . . . et* (sic saepius)
120, 3 *ermineuce interpretasse*
129, 30 *balanèys balneator.*

Glossarium Leidense (cod. Leid. Voss. s. VIII—IX):
III 398, 16 *anima psyxe*
407, 8 *feliciter eythycos*
413, 4 *non ouc*
5 *nonne oyxi* (haec scriptura nonne plane Graeca est?)
8 *nihil oyden*
414, 19 *puella toxorasion* (i. e. *χορασιον*; cf. 283, 19 *αρκομαι incipio*, ibid. 33.34, talia plura).

Glossae Bernenses (cod. Bernensis s. XIII):

III 488, 47 *anoys sine sensu*
489, 13 *applois simplex* (etiam Graece saepe *οι* pro *ου*: 321, 25 *τριποις tripes*, alia)
23 *apnois sine spiritu*
490, 6 *aroira seges*
73 *boyleutes decurio.*

Secundum alphabetum Latinum tamen verborum ordo est in hoc glossario: *a b ch d e f* (= *φ*) *g i k* (sic semper initio verborum; ceteroquin plerumque *c*: 497, 4 *kacologus*, similia) . . . *p r s t x y z* (etiam *zabulus sathan*). Verborum initio omittitur aspiratio.

Glossae Vaticanae (cod. Pal. s. X):

III 507, 27 *aleyria farina*
69 *anagekus necessarius*
509, 48 *aycen cervix*
510, 57 *basyley kayre rex ave* (cf. 283, 19 *αρκομαι incipio*, plura talia)
511, 45 *boyleytes decurio*
48 *byrcion coriarium*
515, 68 *egraψenmoi scripsitmihi*
69 *eisoψin adfaciem*
527, 60 *kataψeystes commentor*
518, 57 *enlixnyon lucernarium*
62 *eyxroin bonicoloris*
523, 20 *iktys piscis* (cf. 283, 19).

Inde a pag. 528 cod. Pal. s. XIII:

III 529, 41 *leykoxroys albi coloris*
530, 71 *moyxos adulter . mechus* (fuit *ου* pro *οι*, ut 321, 25 *οι* pro *ου*)
77 *nomikoc iuris studiosus* (sed 531, 1 *nomikos iuris peritos*).

Pauca ex multis attulimus, sufficiunt tamen ad probandum quod probare studemus. Nam omnia haec neque secundum

usum scribendi Latinum neque secundum sonum verborum Graecorum, qui tum erat, scripta sunt, sed originem trahunt a scriptura Graeca antiquiore.

Ne tamen quis praepropere iudicet. Haec enim peccata eiusmodi sunt, ut, si quis velit, etiam hominibus iis, qui ex glossariis Graecis ea de quibus agimus confecerunt, tribui possint, cum illi aut accuratius Latine reddere vellent speciem verborum Graecorum (e. g. *ay* pro *αυ*, *gk* pro *γκ*) aut singulares litteras Graecas in Latinas transcribere obliviscerentur (e. g. *Ψ*, *X*, *C*), pro quarum plerisque postea una cum litteris maiusculis Latinis minusculae Latinae substitutae sunt. Quorum neutrum ne docto quidem viro indignum erat. Itaque non de ipsorum horum glossariorum, sed de fontium eorum genuina scriptura hac re certiores fimus.

Sed occurrunt in Graecis verbis Latinis litteris exaratis alterius generis peccata, velut haec:

Glossae Servii Grammatici:

II 534, 61 *Damnum ximia*[1]; similiter 535, 16; 536, 12.

Hermeneumata Amploniana:

III 82, 43 *periteorgias de aratura*
67 *heaios sol.*

Glossae Bernenses:

III 489, 73 *andon luscinia.*

Glossae Vaticanae:

III 506, 37 *acon auditus*
507, 41 *amaza plaustrum*[1])
522, 31 *toraž thorax* (sic!)[1])
32 *toraz pectus*[1])
510, 73 *basiaycos regariolus*
512, 25 *gaykyn mustum*
515, 47 *epioymoyntas cupientes.*

---

1) Etiam apud Graecos nonnumquam *ξ* pro *ζ*, *ζ* pro *ξ* scriptum legitur, cf. W. Schulze, Zeitschr. für vergleichende Sprachforschung XXXIII p. 216: „Graphische verwechselungen zwischen *Z* und *Ξ* sind alt und häufig.“

Haec quoque ex scriptura Graeca vel potius in scriptura Graeca nata sunt. Nam in glossariis Graece scriptis non semel ξ pro ζ, γ pro τ, α aut δ pro λ exarata inveniuntur, cf. haec:

II 555, 64 *Ευυπνιαξομενοc somniator*
558, 31 *Ριξα radix*
553, 54 *Αυγαρκηcιc sufficientia*
58 *Αμπεδοc vitis*
554, 7 *Αμπεδοιc vineis*,

praeterea haec:

III 109, 22 *αcναcαμεθα eamus*, similia plura; cf. Plaut. Pseud. 712 *ποιῶ* : *no Lω* C, *nolω* D.
116, 9 *και ουπουεγτιν et ubi est*.

Sane etiam facilius, quam *Ν* ex *Π*, *Ν* ex *Η* fieri potuit; ut taceam de *Ο* pro *Θ* scripto.

Sed cum ea de quibus supra diximus vitia ex scribendo nata sint, cum librarii recte quidem legerent, sed neglegenter interdum transcriberent Graeca, hi, de quibus nunc, debentur prorsus stultitiae scribarum qui stupide depingebant litterarum Graecarum formas atque ea quae scribebant aut falso aut omnino non legebant. Itaque si quaeritur utrum ista peccata redeant ad ipsos auctores glossariorum eorum in quibus inveniuntur vel ad exemplaria quibus illi usi sunt, an recentioribus temporibus extiterint, illud plane negandum est. Nam glossaria a grammaticis ad usum scholarum conscribi solebant; certe igitur nullus glossarii auctor tam stolidus erat, ut errores qui tantopere verborum significationem delerent aut describendo propagaret aut ipse scribendo efficeret. Graecis igitur litteris usi sunt glossariorum auctores; peccata autem illa de quibus diximus post eorum aetatem nata sunt, cum scriptura Graeca iam non intellegebatur; denique vocabula Graeca sic depravata ad litteram in scripturam Latinam transcripta sunt.

Conclusio.

Qui fuerit Romanorum in litteris Graecis adhibendis sive non adhibendis usus cognoscere conati sumus. Non breve potuimus atque simplex dare responsum. Glossaria nimirum semper Graeca Graece exhibebant. Ceterum ille scriptoribus Romanis videtur mos communis fuisse, ut, cum totam sententiam Graece dicerent afferrentve locum quendam pleniorem ex Graeco libro sumptum, retinerent scripturam Graecam. In singularibus autem verbis Graecis quae orationi Latinae inserta leguntur tantum abest ut certam scribendi legem secuti sint scriptores Romani, ut apud unum eundemque mira saepe inveniatur inconstantia. Quae licet aliquot locis librariis debeatur, non raro tamen certe genuina est. Ubi autem codicum testimoniis diligenter adhibitis patet ratio qua usus est scriptor quidam sive Cicero sive Seneca, quid obstat quin libenter eam arripiamus? Certum est poetas sublimiores Vergilium et Horatium noluisse in versibus suis Latinis litteras Graecas comparere, vide Catalepton; sed idem valet de Ciceronis libris philosophicis. Idem in inscriptionibus observatum est lapideis. Eodem propensus fuit Seneca, sed maiore libertate ea in re usus est. Speciem scripturae oculis gratam curabant homines antiqui: nam ea de causa Romanos saepe litteris Latinis scripsisse Graeca nobis persuademus, ne foedarent paginae conscriptae pulchritudinem, cum immiscerent alterum litterarum genus. Denique ipsorum scriptorum Romanorum scribendi mos in editiones hodiernas recipiendus est ubicumque fieri potest. In Plauto autem et Lucilio edendis, cum quid ipsi dederint non liqueat, consuetudo editorum Ciceronianae fere aetatis adhibenda est; haec enim in codicibus qui extant comparet.

VITA.

Natus sum Gualtherus Nieschmidt Borussus in vico cui nomen est Holdenstedt die X mensis Septembris anni 1888 patre Henrico, matre Maria e gente Riggert. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis in patris mei schola instructus et rudimentis linguae Latinae a patre eruditus inde ab anno 1899 scholam quae gymnasium reale vocatur Uelzeniensem frequentavi. Vere anni 1906 testimonium maturitatis adeptus, ut studiis philologis et germanicis me dederem, universitatem Marpurgensem adii, cuius civis per quinque semestria fui. Deinde bis sex menses Monachi versatus autumno anni 1909 iterum Marpurgum me contuli, ut philologiae studia ad finem perducerem. Examen rigorosum superavi a. d. III kal. Mart. a. 1912. Abinde usque ad diem promotionis Marpurgi versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Marpurgenses Altmann †, Birt, Bock, Busch, Elster, Jacobsohn, Jacobsthal, Jenner, Kalbfleisch, Maass, Mannkopff, Menzer, Natorp, Rade, Savory, Schwarz, v. Sybel, Thiele, Thumb, Vogt, Wrede; Monacenses Crusius, Krumbacher †, Kutscher, Muncker, Otto, v. Pöhlmann, Rehm, Vollmer. Proseminario philologo ut interessem concesserunt Birt, Kalbfleisch, Otto, Thiele. Ad exercitationes me admiserunt Jacobsohn, Thiele, Thumb. Seminarii philologi Monacensis per bis sex menses, seminarii Marpurgensis Birtio Kalbfleischio Maassio directoribus per tria semestria sodalis fui. Ad proseminarium et seminarium germanicum Elster, Wrede me admiserunt, ad seminarium philosophicum Natorp.

Quibus viris omnibus gratias ago, praeter ceteros autem Theodoro Birt, qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit atque semper studiis meis benignissime faverit.